ANTONII SANDERI
PRESBYTERI
S. Theologiæ Licentiati
DE
BRVGENSIBVS ERVDITIONIS FAMA CLARIS
Libri duo,
AD
AMPLISSIMVM ET PRVDENTISSIMVM
REIP. BRVGENSIS SENATVM.





ANTVERPIÆ,
APVD GVLIELMVM A TONGRIS
M. DC. XXIV.

AMPLISSIMIS AC NOBILISSIMIS VIRIS

IACOBO PARDO
Equiti, Domino de Fremicourt,

ADOLPHO A MALDEGHEM
Equiti, Domino de Leyſchot, Oetſel, &c.

COSS.

Totique Brugenſis Reip.

SENATVI

ANTONIVS SANDERVS DD.

QVI ciuitatem veſtram Athenas Belgicas nominauit, is profectò ex animi mei ſententia verum dignumq; Brugenſi præſtantiâ elogium fecit. nam vt illæ olim inter omnes Græciæ ciuitates doctrinâ ſtudiiſque bonarum artium maximè celebres fuère: ita ſi parem Reip. veſtræ

laudem tribuamus, nec vani erimus, nec abſurdi Encomiaſtæ. Eximia eſt Brugis templorum maieſtas, ædificiorum priſcas opes, vetere mq́; magnificentiam adhuc teſtantium amplitudo, pulchra deniq́, totius vrbis ſymmetria. Ea alij, & ſuo quidem merito: ego illis omnibus pulchriora eruditorum hominum ingenia ſemper admiratus ſum. Neque ab vlla re ciuitatem veſtram (ſi pretioſum illud omnibuſque mundi ornamentis præferendum pignus, SACROSANCTVS videlicet DOMINI CRVOR, cum veſtratibus Diuis excipiatur) commendandam magis exiſtimaui. Eam itaque ingeniorum veſtrorum elegantiam & poſteritas ſciat, viros hoſce liberalibus diſciplinis claros, ſcientiâque tum ſacrâ tum profanâ inſignes, labore non modico paſſim ex monumentis tum editis tum manuſcriptis quæ fidem merentur, conquiſitos, numerô non paucos in duos libros compegi, atque Amplitudini veſtræ ſacros, non infelicibus ſpero auſpiciis, in lucem publicam abire permiſi; Vos eos quæſo optimi *Conſules*, Vos optimi *Senatores*, hilari vultu, animoque beneuolo, in curiam veſtram laudabilibus factis illuſtrem venientes excipite, atque vti inprimis

iis

iis artibus clarum, à quibus hi commendantur, Magiſtratum decet, veſtro patrocinio, ac liberali tutelà dignos æſtimate.

ELOGIA ALIQVOT CIVITATIS BRVGENSIS.

FATERI debemus, BRVGAE veſtræ Belgij noſtri Sidus ſunt, pariter vt olim Græciæ oculus Athenæ. Nuſquam à multis annis ingeniorum felicior prouentus, nuſquam doctrinæ vberior ſeges. In qua eruditorum luce vos Laurini fratres ſic eminetis

„ *Ut pura nocturno renidet*
Luna mari Gnidiúſque Gyges.

Iuſtus Lipſius lib. 2. Epiſtolicarum Quæſtionum ad Marcum & Guidonem Laurinos fratres Epiſtolâ primâ.

ALIVD.

Magna virûm mater, Morinûm Regina, ſuperbo
Pænè ſupercilio Bruga propinqua polo.
Materies famæ Flandrorum à merce celebri
Expoſita eois nuper & occiduis.

Nec priscâ iam laude minor, licet aspera bello
Passa diu, & regni parte minuta sui.
Crescit ab infestis detonsa securibus ilex,
Maior ab aduersis pontica virgo malis.
Scilicet & belli pacisque tot inclyta lauris
Inuictos animos vrbs ea tanta gerit.

ALIVD.

Amne Riâ, lare, merce, foro, dupliciqúe Senatu
Et populo, & clero Bruga decora suo est.
Tota nitens, lateque potens, magnæ æmula Gandæ.
Et par, ni paribus destituatur aquis.
Cætera inexhausto ingeniorum fonte redundans,
Cedere Parisiis vel tibi Roma neget.

Maxæmilianus Vrientius.

Multas Bruga aliis exæquat dotibus vrbes:
At cunctas anteit dotibus ingenij.
Testes tot paßim trifidum celebrata per orbem
Nomina, vel potius numina, quæ peperit, &c.

D. B. in librum Arithmeticæ Simonis Steuini Mathematici Brugensis.

Amœna princeps vrbium venustarum,
Quascunque Belga sol tuetur, ac lustrat,

Aquosa

Aquosa Bruge, magna mater & nutrix
Æternitatis, officina Musarum,
Domus leporis, elegantiæ sedes,
Taberna comitatis, hospitum portus,
Suauis, diserta, perpolita, sal tota.
Quam prona adorat vultibusque submißis
Gens litterata, gens vbique diffusa,
Et ordo non plebeius eruditorum:
Cui non benignâ certet ingens laude,
Largaque messe, copiaque Doctorum
Vrbs Celtibera, non Libyssa, non Graia,
Non cui patrima nomen imputat Diua,
Non Imperatrix ipsa gentium Roma,
Potens alumnis, quasque possident vsquam
Remi nepotes & potentis Æneæ,
Non ciuitatum quidquid est remotarum,
Sub axe nostro, vel sub axe non nostro.
Hæc inuidendas iactet vrbium sedes,
Aptasque cælo nubiumque riuales
Miretur arces, mercimoniis felix
Sit hæc vel illa. Tu Pamelios Diua,
Fruteriosque, nobilesque Rauardos,
Dambouderosque, tu Metkerckios iacta,
Vulcaniosque, Curtiumque non vnum,
Tu Giselinos, Modiosque, Tu NansI
Iacta labores cum laboribus CruquI,

Meosque


Meosque amores dulce Lernuti pectus,
Cui vitam Hyella, cui cupidinum tela
Debent ocelli, cui lepos Dionæus
Et basiorum suaueolentium nectar.
Tu transmarinis artibus Pelasgorum
Linguaque tinctum pectus acre VVyngardi,
Pluresque, quos laus consecrauit, & fama
Æuo nepotum sæculoque venturo
Quot aut arenas voluit vnda vel fluctus.
His Diua, si quid nostra tinniet pulcrum,
Et audiendum nota posteris Musa
Dignúmque laudis Heynsium licet iungas.
Quem tu benignâ comitate, vi blandâ,
Lenique nexu, nec solubili vinclo
Humanitatis & lubentiæ cunctæ
Sic mancipatum Diua, sic tenes vinctum,
Et cæterarum quidquid vrbium est vsquam,
Sit inquilinus, debito tuus Ciuis.

D. H.

ANTO-

ANTONII SANDERI DE BRVGENSIBVS ERVDITIONIS FAMA CLARIS.

Liber Primus.



DAMVS MANDERIVS Patriâ Brugensis, serie quidem litterariâ primus, sed & eruditione non postremus hic occurrit, vir oris rotundi, acrisque ingenij Philosophus. Qui artem medicam apud Gandauenses exercens, multas ibi *Ephemerides Meteorologicas* ad latitudinem quinquaginta vnius graduum collatas Latino sermone composuit, & in lucem emisit, Matheseos ac Historiarum studiosissimus.

ADEODATVS A MARIVORDA Patritius Brugensis, Poëta, eleganti stilo in vtraque lingua *Carmina quædam* euulgauit. Lectu dignum Epitaphium ab Adeodato scriptum in Æde B. Mariæ Virginis Antuerpiensis conspicitur, in laudem Æneæ à Mariuorda patruelis sui. Quod quia cæteris eius Opusculis coniunctum non est, hîc adponi potuit.

Quis sim, quis olim denique
Viuens fui, requiris Hospes optime?
Sum puluis olim nobilis,
Dum fata vitam haud inuident superstiti,

B *Belli,*

Belli, togæ, domi, foris,
Heroas inter splendidos haud infimus
Et miles, & Dux agminis.
At fortè nomen, & genus quæsiueris,
Et patriam ? de nomine
Respendeo, quod Cypridis quondam fuit
Nato Creusæ coniugi,
Idem parentes indidere Infantulo.
Vocatus Æneas fui.
Gens Mariuorda originem mihi dedit
Antiquitate splendida.
Brugis in auras me parens primùm tulit
Herois inclyta, & pia.
Quid sum, quid olim, vel potius nuper fui,
Scis hospes, at tu quis sies,
Tenebris situs nequeo quidem cognoscere:
Sed tu teipsum noueris.

ADOLPHVS MEKERCKVS, vulgò Meetkercke, Patritius Brugensis, à veteri pago gentilitio, (qui medio fere itinere inter Brugas & Blancobergam situs est) sic dictus. Franconatium olim Quæstor, ac Pensionarius, antiquitatum eruditus scrutator, etiam Iurisconsultus, *Moschi & Bionis Idullia scholijs illustrauit, reddidit & carmine Latino Theocriti Syracusani Epigrammata*: scripsit etiam *De veteri & recta pronunciatione Linguæ Græcæ Commentarium.* Post Desid. Erasmum & Checum Anglum, qui *cum Appendice de accentibus Græcorum* Brugis excusus est apud Hubertum

tum Goltzium. *Carmen venustum* præfixit Theatro illi amplissimo Abrahami Ortelij Geographi Regij. Legationes aliquot obiuit pro Belgij Ordinibus ad Serenissimum Principem D. Ioannem Austriacum, & anno 1580. à Francisco Duce Alenconio Belgicas ditiones per summum nefas sibi vendicare conante, Præses Flandriæ constitutus; tandem Londini in Anglia anno 1591. mense Nouembri fati munus impleuit. Dogmatis, eheu! Caluiniani fascino dementatus. Sic de eo Harduinus; aliter tamen Valerius Andreas, & in hunc modum: Obiit Adolphus Metkerckus an. 1591. prid. Non. Octob. Londini in Anglia, quò rerum paulatim in Flandria potiente Alexandro Parmę Duce pertæsus turbarum secesserat, moriensq; scripto testatus est, veram Religionem non esse extra Catholicam Ecclesiam Romanam, præsente filiâ, quæ monitu eiusdem Brugas natale in solum rediit.

ADRIANVS CHILIVS MALDEGHEMIVS Flander Brugis ad D. Donatianum ludi primùm litterarij Magister, pòst Parœcus: Græcè Latineq; in primis peritus versu Latino feliciter reddidit *Aristophanis Plutum, item Luciani podagram posteriorem*, Antuerpiæ apud Hillenium 1533.

ADRIANVS ISEBRANDVS Brugensis, Gerardi Dauidis pictoris Veteraquensis discipulus fuit, in nudis corporibus, & vultibus humanis delineandis egregius. Memoratur à Dionysio Harduino in suo de Scriptoribus Pictoribusque Flandriæ volumine msc.

ADRIANVS LAPIVS Brugensis elegantis ingenij Poëta, *varij gêneris Versus*, tam Græcos quàm Latinos edidit, ad annum 1580. vixit.

Adrianvs Scrieckivs Rodornivs, Patriâ Brugensis, at qui longâ habitatione, & variis magistratibus probè gestis etiam Iprensium Catalogo adnumerari possit. Iuuenis in Galliam profectus, Philosophiæ ac Iuri Lutetiæ operam dedit, Laureamque adeptus adhæsit viris ibi claris Errico Mennio, Cuiacio Fomerio, Pithæis fratribus, aliisq;. Ad suos reuersus Gerardo Hornano Bassinij, & Nicolao Montmorancæio Stegræ Comitibus mox innotuit, & Casletanam, Stegrensem, Bassemiam ac Locrēsem Prçturas gessit, pòst Ipris egit in otio Litterato & negotio publico Serenissimis Principibus à Consiliis. edidit opus varium ac nouum *Originum Celticarum ac Belgicarum libris xxiij.* comprehensum cum duplice indice, quo docet linguam Celticam (quam & Iapheticam, Teutonicam, Cymbricam, Scythicam vocat) Latina, Græca, Chaldeaque antiquiorem esse, adeoque has ex illa ortas, Celticam verò ab Hebraica lingua primogenia secundam esse, & solâ Dialecto distare, atque huic paradoxo suo firmando *Monita secunda siue Europam rediuiuam libris quinque & aduersaria scripsit*, omnia Ipris edita typis Francisci Belletij auctoris curâ & impensis. Obiit in patria 1621. die 22. Decembris, apoplexiâ correptus.

Adrianvs Baltin Franconatium Pensionarius, politiorum litterarum ac ciuilis disciplinæ peritiâ clarus. Scripsit *Orationem in funere Serenissimi Principis Alberti Austriaci*, eamque coram Præsulibus & Magnatibus vrbis Brugensis, dum iusta eidem Principi fiunt, dixit in templo Fratrum Minorum Brugis. Excudit Gandaui Ioannes Lapidanus.

Adrianvs Strativs I. C. in Franconatu Flandriæ etiam

etiam Pensionarius, vt vocant, pòst Dammi vrbis Præfectus. edidit Iuuenis Norimbergæ *Poëmata* quædam ad amicos, in quibus & Orationis Dominicæ explicatio, & piæ aliquot preces, vt asserit Valerius in Bibliotheca.

ADRIANVS BVRCHIVS, vulgò VANDER BVRCH, Patricius Brugensis amplissimi viri Ioannis in Sanctiore Concilio Præsidis frater germanus, ac Senatus Traiecti inferioris scriba *Laudes Illustrissimæ Hieronymæ Columniæ* Ascanij Columnij & Sanæ Arragoniæ filiæ *vario genere Carminum* à diuersis Poëtis Italis potissimùm celebratas diligenter *collegit*, & cum aliquot *Miscellaneis suis Poëmatis* Antuerpiæ apud Christophorum Plantinum 1592. excudi curauit. Idem *Epigrammatum sacrorum centurias duas cōposuit* 1590. cui 1591. *tertiam* adiunxit. *Valerium Maximum* emendauit: prodiit & Adriani *Farrago piarum similitudinum*, cui sub finem additus in laudem *Christi resurgentis hymnus Paschalis*. Eiusdem *charitas siue sylua piorum amorum*, impressa Lugduni Batauorum 1595. Alius item liber cui titulus *Fides & Spes*. Anno demum 1599. apud Raphelengium *Pia Decasticha siue sententiarum & exemplorum Centuriæ tres*. Frater etiam Adriani fuit Lambertus vander Burch Decanus Vltraiectensis, vir prudens ac litterarum studiosissimus, è cuius insigni Bibliotheca Iustus Lipsius fatetur alibi habuisse se florum msc. in quem pòst Eliam Vinetum & Stadium commentatus est. Recensuit & Petri Apollonij Presbyteri Nouariensis *De excidio Hierosolymitano Lib.* IV.

ADRIANVS WILLAERTVS Brugensis apud Venetos Musicus Iacobi æmulus, composuit *Suauissimas cantiones, trium, quatuor, & quinque vocum*. prodiit & eius *Musica noua* 3. 4. 5. 6. & 7. vocum, Venetiis apud Anthonium Gandauum

 anno

anno 1599. celebratur versibus Adriani Scolekij Poëtæ Bataui.

ÆGIDIVS CLAISSONIVS Pictor, Domesticus Alexandri Farnesij Parmæ & Placentiæ Ducis, exinde Archiducis Ernesti, Petri Euriques Comitis Fontani, & demum Serenissimorum Archiducum Alberti & Isabellæ Belgij Principum. duos habuit fratres, Petrum & Antonium in arte etiam excellentes. Memoratur à Dionysio Harduino in msc. Catalogo eruditorum & præstantium Virorum Flandriæ.

ÆGIDIVS BARBITONSORIVS Ordinis Minorum Episcopus Sareptanus & Tornacensis suffraganius, sacrę Theologiæ Professor Parisiensis, vir virtute ac eruditione clarus, natione Brugensis. Obiit Brugis in Conuentu sui Ordinis, anno 1514. 27. Martij, in Choro ante Cantorum stationem humatus. Ex manuscr. eiusdem Monasterij monumentis.

ÆGIDIVS SCONDONCHVS Societatis IESV Sacerdos Theologus, Duacensi in Academia publicè professus, Rector Collegij Anglorum Societatis IESV Audomaropoli, vertit studiorum Antuerpiæ Præfectus *Sicam Tragicam* solutâ numeris oratione ex Apologia P. Francisci Costeri aduersus calumnias Lugdunensium Batauorum in Societatem. Meditatur opus ingens magnæque expectationis admirandorum sęculi vnius. Ita Ribadeneira.

ÆGIDIVS WALLIVS Doctor Theologus & Professor in Academia Louaniensi, dedit *Paranesin antiquitatis ad nouos fidei Sectarios*, typis Ioannis Masij 1595. Item *Orationem*

nem de vera Ecclesiæ potestate, ibidem 1599. Deceſſit Louanij 1603. 28. Octob. Elatus ad Diui Petri, qua in Æde Canonicum beneficium obtinebat.

ÆGIDIVS GHISPERIVS Minorita profeſſione, & natione Brugenſis, Lector Theologus acutus, omniumque quos noſtrâ ætate vidit Prouincia facundiſſimus Orator. In Prouincialibus Capitulis, in Epiſcoporum Synodis, in Sacerdotum congregationibus, tanta verborum ſuauitate ſententiarumque grauitate perorauit, vt omnium animos, oculos & amorem in ſe conuerteret, ſibique dicendo conciliaret. Anno autem 1569. diſertum illud os obmutuit.

ÆGIDIVS WYTSIVS Iuriſconſultus Brugenſis, patrio Senatui à Conciliis, ac Ioannis Wytſij Iuriſconſulti Præpoſituræ ſancti Donatiani ab Actis frater conſilium commentus eſt *De continendis & alendis domi pauperibus ac in ordinem redigendis validis mendicantibus*, quod Petro Curtio Epiſcopo, & Ampliſſimo Brugenſium Senatui dedicatum, impreſsit Syluius Antuerpiæ anno 1562. Cui Concilio obnitens F. Laurentius à Villa Vicentio Xeceſanus Doctor Theologus ac Auguſtinianus Eremita, Brugis Flandrorum celebris concionator anno 1564. emiſit librum hoc titulo: Oeconomia ſacra circa pauperum curam à Chriſto inſtituta, Apoſtolis tradita, & in vniuerſa Eccleſia inde ad noſtra vſque tempora perpetuâ Religione obſeruata, cum quarundam propoſitionum quæ huic Oeconomiæ aduerſantur confutatione. Scripſit idem Wytſius *Commentaria in Andreæ Dominici Flocci Florentini de Magiſtratibus Romanorum Librum*, qui liber hactenus L. Feneſtellæ adſcriptus fuit, *Pomponij item Læti, Raphaëlis Volatе-*

Volaterani & Henrici Bebelij eiusdem argumenti libelli ab eodem Wythio accuratè castigati sunt. Exstant eiusdem Wythij elegantia Carmina contra illud Philippi Beroaldi Senioris, veras esse Imagines ex litteris, vanas & otiosas ex numismatibus. Decessit in Curia Flandriæ Consiliarius ab Ordinibus Belgij creatus.

ALEXANDER COLONAEVS I.C. & Poëta Brugensis. Eius varia exstant *Carmina Latina*, fertilis ingenij & exercitati monumenta.

ANDREAS HOIVS Brugensis, primùm litterarum Græcarum, exin Historię & humanitatis in Academia Duacensi Regius Professor, scripsit Tragœdias sacras, quibus titulus est *Matthæus & Machabæus* siue constantia. Eas Duaci excudit Ioannes Bogardus 1587. scripsit & *Epitaphia quædam*, item *in Ezechielem Prophetam paraphrasin poëticam libris sex*. Accesserunt *Orationes tres, prima de Mardochæi constantia, altera de fœdere Iudæ Machabæi cum Romanis, tertia de Pharisæis, veteri apud Iudæos secta.* Paratur & à fœcundo viri ingenio opus vastum, historia videlicet *sacra & profana ab orbe condito ad Christi natalem*. Multæ eius in schedis latent orationes, historicæ & Philosophicæ: prodiit & eius liber *Orthöpæia*, siue de genuina pronunciatione linguæ Græcæ & Latinæ post Metkerckum & alios; funebris item *Oratio in laudem Alberti VII. Austriaci*, Belgarum, eheu! nuper optimi & benignissiimi Principis. Edidit & *Orationes tres*, in quodlibeticis Duaci quæstionibus pronuntiatas. Prima est *de noua apud Europæos Monarchia*. Altera *de Gallicanis Capetiæ stirpis regibus*. Tertia *de Gentis Vrbisq; Atrebatum laudibus*. Accedunt his *Betunia & Duacum* breui descriptione illustratum, item pro *Criticis Apologia*, & pro *Gregorio VII. Pontifice Max. aduersus*

septimum

Septimum Florentem Christianum. Gasparis Loarti Meditationes è Gallicis quoque *Latinas* fecit. *Franciscum* item *Ariam de imitatione B. Mariæ* descripsit, & vitam Iacobi de Vitriaco, item Prouerbiales formulas à Tertulliano vsurpatas explicauit cum Pamelio editas.

ANDREAS KETELLIVS Brugensis I. V. Doctor, Eques auratus, & in inclyto Flandriarum Comitio caussarum Patronus, Poëta & Orator politus, complureis Louanij, Duaci, & in aliis Galliarum ac Italiæ studiorum generalium Vniuersitatibus habuit Orationes publicè, cum auditorum eximio adplausu, funebres plerasque, quarum non paucis interfuisse se dicit Dionysius Harduinus, excultam viri memoriam, facundam dictionem & doctam pariter actionem semper, vt ait, admiratus. Scripsit *Tragœdiæ Aldenardinæ περιοχὴν* ad Amplissimum Præsulem Dominum Gislenum Timmermannum, Abbatem Diui Petri in monte Blandinio; id argumentum Aldenardi ædi Iacobi Eytzwertij præfigitur, cui Elogium præfati Eytzwertij ab eodem Ketellio adnectitur. Scripsit & *Orationes Alexandrinas*, in laudem videlicet Alexandri Farnesij Parmæ & Placentiæ Ducis, Belgicarum Ditionum Gubernatoris.

ANSELMVS BOETIVS, vulgò de Boodt, Cæsareæ aulæ interioris Medicus, reliquit opus *de Gemmis & Lapidibus* cum figuris, Francofurti typis Marnij anno Domini 1609. Scripsit & *Isagogen in Symbola Diuina & humana*, Iacobi Typotij Pragæ edita apud Ægidium Sadelerium anno sæculari, ex Musæo Octauij de Strada.

ANTONIVS CLAVA vulgò Colue, Brugensis, in Curia Flandriæ Senator, vir egregiè eruditus, ac trium Linguarum callentissimus, Erasmo Roterodamo perquàm familiaris, cuius ad illum & illius ad hunc vicissim multæ exstant Epistolæ; est & vna Erasmi ad Ludouicum à Flandria Prati dominum, Præfectum Gandensem, vbi in hunc modum de Claua indicat: Antonius, inquit, Claua frequenter ad me scribit, nec vllo in argumento illum destituit mirabilis illa suadela, quam ipsi natura insitam, auxit vsus & eruditio. Est & alia eiusdem Erasmi Epistola Basileæ scripta Kalend. Febr. 1529. ad Carolum Vtenhouium, vbi hunc Clauam senem quidem ætate, sed animi bonis omnibus vernantem appellauit.

M. ANTONIVS DELRIO Brugensis patriâ, Hispanus origine, vir maximis huius æui Heroibus adnumerandus, Poeta, Orator, Historicus, Iurisconsultus, Theologus, variorum item idiomatum scientissimus fuit. Regius primùm Consiliarius in Cancellaria Brabantiæ. In iure edidit *repetitionem ad L. transigere C. de transactionibus, exercitationem ad L. contractus 23. de diuersis regulis juris*; item *de principijs juris libros duos. Historiam de rebus sub Albano in Belgio gestis. Notas* luculentas scripsit *in Claudianum*, emendauit *& Iulium Solinum* Polihistorem. Scripsit & *in Senecam aliosque veteres Tragœdos Commentarium*, quem *Syntagma Tragicum* appellauit; hic cùm per annos aliquot Consiliarij, vt diximus, munere functus esset, rerum forensium atque adeò mundanarum pertæsus, saluberrimo consilio Societatis IESV institutum amplexus est. Scripsit & *Miscellanea in totum ius ciuile. Florida Marianaq. de Laudibus sanctissimæ Virginis Deiparæ Panegyricos, & Polemica Mariana, Disquisitionum item Magicarum tomos 3.* sæpiùs locupletatos. *Comentaria in Cantica canticorum,*

Notas

Notas in D. Orientij commonitorium Carmen, & in D. Althelmi ænigmata, *De difficilioribus & vtilioribus sacræ Scripturæ locis Tomos 3. Vindicias Areopagiticas aduersus Iosephum Scaligerum; Commentarium litteralem in Threnos Ieremiæ, Pharum Sapientiæ*, seu *Commentarium in Genesin*; *Adagialium sacrorum Tom.* 1. & alter *Adagiorum* ac *Phrasium sacræ Scripturæ*, posthumi in lucem exierunt. Promiserat in Pharo inter alia racemationes sanctorum Patrum in Isaiam, Iudic. & Psalmos, quas morte præuentus fortè non absoluit. Delrius enim dum ex Hispania valetudinis causâ in inferiorem Germaniam redit ex itineris fatigatione & continuis studiorum laboribus in morbum incidit, & in amplexibus Patrum Societatis eiusdem Louanij mortuus est 19. Octob. 1608. ætatis 57. Vir fuit probitate, ingenio, religione, omnium litterarum genere, ac morum suauitate excellens.

ANTONIVS MEYERVS Henrici filius, Iacobi Flandrorum Historici nepos, studiosæ iuuentutis apud Atrebatum, & antè quoque Cameraci moderator 1565. Scripsit *Epitomen rerum Flandricarum*, siue Comites Flandriæ *Heroico Carmine* ex Annalibus Iacobi Meyeri patrui sui. Item *Cameracum*, Encomium vrbis ac populi Cameracensis, impressit Stelsius 1556. *Patrui Annales auctos & recognitos* dedit in lucem; *Nilij, Episcopi ac martyris Gnomas* Latino Carmine reddidit præter *varios Versus quos publicos fecit*, scripsit & heroico pede *Vitam sancti Vedasti*. Fuit Antonius Iacobi hæres tum Facultatis, tum Bibliothecæ, quam ille insignem magno labore multisque impensis coaceruarat. Scripsit & Vrsium de rebus S. Vedasti Atrebatensis libr. 3.

ANTONIVS SCHOONHOVIVS Brugensis ad S. Donatianum Canonicus, primus in lucē dedit è Bauonico Gandaui

exemplari *Eutropij Historiæ Romanæ libr. 10. integritati suæ*, ipsique adeò Eutropio auctori suo restitutos, sublatis iis quę Paulus Diaconus aut addiderat Eutropij historiam libris duobus producendo, aut de suo Eutropianis inculcarat; quod & Greg. Cassandri indicat Distichon in libri Frontispicio:

Hactenus Eutropij titulum nomenque, sed ipsum
Nunc demum lector conspicis Eutropium.

Adiectus est de dignitatibus vtriusque Imperij, ac Prouinciarum Romanarum libellus.

ARNOLDVS BARTIVS Brugensis I.C. ac Franconatium Scabinus, in lucem emisit quædam in *C. Iulium Cæsarem*, studio & operâ M. Laurini Watervlietij Toparchi, ab Huberto Goltzio Herbipolita restitutum. tam fœlicis memoriæ vir hic fuit, vt Pandectas iuris nostri memoriter ac leges quamplurimas verso ordine recitare posset. Sic vt cum L. Annæo Seneca memoriâ certare posse videatur, qui, vt in historiis ponitur, cùm Poëta quidam ducentos Versus ex tempore edidisset, & in papyrum congestos coram Nerone ex ordine recitaret, Seneca vice libri memoriâ vsus, eosdem ab vltimo incipiens ordine retrogrado singulos vsque ad primum repetiuit.

ARNOLDVS GERARDVS Laurentianus, qui pagus agri Brugensis pars est. Scripsit *de fide Catholica libr. vnum*, quem Coloniæ impressit Maternus Cholinus anno 1556.

BARTHOLOMÆVS dictus DE BRVGIS à Patria, Medicus professione, edidit in *Aphorismos Hipocratis librum vnum*, & alterum in librum Προγνωστικῶν, tertium *de regimine morborum acutorum*. Auctor Symphorianus Campegius.

BERNAR-

BERNARDVS VALDAVRA Brugensis, propinquus Margaretæ Valdauræ vxoris Ioannis Ludouici Viuis Valentini, rarâ pudicitiâ fœminæ, ac omnibus animi dotibus marito simillimæ. Scripsit ac collegit *marmoreas inscriptiones*, & *de nummis antiquis*. Vixit anno 1558. Neapoli à litterarum scientia clarus.

BONAVENTVRA VVLCANIVS Brugensis, olim Harduino apud Ioannem Othouem Gandaui condiscipulus, Lugduni Batauorum Græcarum litterarum professor. Diu versatus est in Hispaniis, apud virtutis & doctrinæ nomine excellentem virum Franciscum de Mendoza filium Marchionis Cagnetæ, Episcopum Lauriensem Presbyterum Cardinalem tit. S. Mariæ de Ara cæli, pòst tit. S. Ioannis ante Portam Latinam, & Episcopum Burgensem, illique à studiis & Bibliotheca, ac magno in honore habitus. Vir egregiè in litteris versatus, è Græco in Latinum Carmen *vertit Callimachum* Cyrenæum, Hymnos videlicet, epigrammata, ac fragmenta eius quæ extant omnia, *Moschi* item *Syracusij & Bionis Smyrnæi Idyllia.* idem emisit 1591. *Aristotelem de mundo Græcè cum duplici interpretatione Latina*, priore L. Apulei, & alterâ Gulielmi Budæi, cui Scholia sua Vulcanius addidit, & castigationes, cum animaduersionibus Manutij Romæ editis. *Historiam* scripsit *tumultuum Belgicorum ab anno 1556. vsque ad* 1577. quo Hispani pace per Ioannem Austriacum factâ ditionibus Belgicis excesserunt. *Hymnos sacros in sacrosanctam Trinitatem* composuit; in Christum quoque ac eius natiuitatem, passionem, mortem & resurrectionem ac Spiritus sancti missionem, in extremum quoque Iudicium ac Cœnam Dominicam. *Emblemata sacra vario Carminum genere* scripsit. *Iuliani Apostatæ Symposium Latinè vertit, Pollucis Onomasticon* è vetere msc. Codice Bibliothecæ Au-

gustanæ castigauit. *Corpus Linguæ Latinæ* composuit, *in quod veteres auctores omnes qui de Lingua Latina scripserunt, coniecit*, adductis Scholiis doctissimorum nostri temporis virorum, Antonij Augustini, Petri Victorij, Manutij, Scaligeri, &c. Eiusdem *Harmonia Poëtica*, in qua epitheta, descriptiones, locorum similitudines, Phrases Græcorum & Latinorum Poëtarum inter se conferuntur, Poëmata varia Græca, & Latina, scilicet Epistolarum, Satyrarum, Epigrammatum funerum, parodiarum Hodœpericon Hispaniæ protrepticon ad Belgas, Grammatica Hispanicæ Linguæ, Dialogus quoque de vita & moribus Hispanorum recensetur; Græca & Latina Erasmi adagia aliis Germanicæ, Gallicæ, Italicæ & Hispanicæ Linguæ auctiora reddidit. *Historiæ Gothicæ partes duas notis illustrauit, Arriani Historici & Philosophi Historiarum Alexandri Magni libros octo Latinitati donauit*; Eius vitam ex Plutarcho interpretatus est, additis libris duobus de forma vel virtute Alexandri. *Isidori Hispalensis Episcopi* Originum *libros viginti* ex antiquitate erutos, & *Martiani Capellæ de nuptiis Philologiæ, & Mercurij libros nouem variis Lectionibus & Scholiis illustrauit*, quos impressit Basileæ Petrus Perna 1577. *Origenis Philocaliam*, hoc est, quæstiones illustriores ex vniuersis scriptis Origenis à Basilio & Nazianzeno collectam *Latinè vertit*. *Gregorium Cyprium* Theolog. Philosophum & Oratorem eximium *Latinum quoque fecit*. Eiusdem liber circumfertur *Thesaurus vtriusq; Linguæ*, hoc est, Philoxeni, aliorumque veterum auctorum glossaria Latinogræca & Græcolatina, item Biblia Græca cum variis Lectionibus & difficiliorum locorum partim Græca, partim Latina interpretatione ad marginem adiecta; capitibus singulis argumenta adiecta sunt, & capita ipsa in versiculos, vt in Hebræis distincta. his accedit *Adriani* εἰσαγωγὴ εἰς τὰς θείας γραφάς & Lexicon Theologicũ ex Lexicis Græcis msc. & Scholiis

in ve-

in veteres Patres collectum. Cyrillum Alexandrinum hoc titulo edidit, *D. Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini* acerrimi grauissimique inter Orthodoxos Patres Christianæ Religionis aduersus Hæreticos propugnatores *Opera* in duos Tomos digesta, quorum prior Didactica, posterior Exegetica continet, Bonauentura Vulcanio Brugensi interprete. Quæ omnia quia hinc inde censura & emendatione indigent, cautè & prudenter ab homine pio & Catholico legantur; quin potiùs non nisi legitimè expurgata permissaque.

CAROLVS GOSWYNVS Societatis IESV Sacerdos, vir humanis diuinisque litteris egregiè cultus. Scripsit *Notas in Tertullianum*. Meminit eius Clarus Bonarscius in Amphitheatro honoris.

CAROLVS FERDINANDVS aliàs Phernandus, Brugensis, ab infantia oculis captus, tantum in studiis profecit, vt Parisiis litteras non sine laude professus sit, & cùm alia tum Versus multos scripserit. Auctor Gyraldus in libro de Poëtis. De eo sic Trithemius Abbas: Carolus Fernandus natione Teutonicus, Brugis oppido Flandriæ natus, à parua ætate captus oculis, & ob id elementorum etiam penitus ignarus, tantum sui miraculum prębet, vt velut alter Homerus, Poëta, Musicus, Philosophus, & Orator celeberrimus euaserit, diuinarum quoque Scripturarum sagacissimus interpres, Carmine excellens & prosâ, ingenio subtilis, eloquio disertus, vitâ & conuersatione integerrimus, qui à Rege Gallorum publico & perpetuo donatus stipendio, in celeberrimo Gymnasio Parisiensi multo tempore litteras humanitatis egregiè docuit, & auctores complures pulcherrimè exposuit. Demum contemptis omnibus, mundum cum suis stipendiis deseruit, & ante biennium fermè ordinem D. Patris Benedi-

Benedicti intrauit in Monasterio probè reformato, quod Casale Benedictum appellatur, sito in quadam sylua densissima decem à Bituricensi ciuitate fermè millibus distante, in quo vsque hodiè perseuerat magno feruens zelo animarum : adeò vt dispensatione Apostolicâ, Leuita ordinatus, verbum Dei cum maximo omnium fructu & admiratione publicè prædicet. Scripsit tam metro quàm prosâ multa præclara volumina ; quibus nomen suum posteritati commendauit; sunt autem hæc: *In dissertationem metricam Roberti Gaguini*, de purissima conceptione sacræ Dei Genitricis & Virginis Mariæ aduersus Vincentium de Castro-nouo libros 2. *Laudes Ordinis Camelitarum. Odarum in laudes Christi & B. Virginis libr.* 1. *Orationem de Conceptione ad Carthusienses, Orationem de sancta Catharina, Epistolas multas, Elegias de Contemptu mundi* quoque euulgauit. Caroli huius Fernandi confabulationes monasticas in quatuor libellos diuisas cum vocum & sententiarum quarundam explanatione impressit Parisiis Iudocus Badius 1515. Item eiusdem *Speculum monasticum*. Fertur & sacras litteras Parisiis interpretatus fuisse.

COLLEGIVM SOCIETATIS IESV Brugense edidit *Iudicium Panegyricum quadrimembris Flandriæ* 1605. seu dissertationem : quo laudum genere potissimùm præstet Flandria militiâ, politiâ, opibus, Religione. Liber Brugis impressus est apud Petrum Soetardum. Multa in eo pulchra & scitu digna, quæ ad commendationem eiusdem Prouinciæ pertinent, leguntur.

CORNELIVS BAESCORPIVS, Caroli V. Cæsaris Archiatros, vt singulare Reip. Brugensis ornamentum à Iacobo Marchantio laudatur.

CORNE-

CORNELIVS HENRICVS MATHISIVS Brugensis, Medicus & Chirurgus Mariæ Reginæ Hungariæ Belgij Gubernatricis Bruxellæ, eruditione & curandi dexteritate præstitit, è Græco in Latinum transtulit *Actuarij Ioannis Zachariæ filij methodi medendi libros sex*, quibus omnia quæ ad medicinam factitandam pertinent, ferè complectitur. Impressi sunt Venetiis 1554. Claruit & Pisis in Italia circa an. 1526.

CORNELIVS SCVTIVS Medicus & Mathematicus edidit 1537. *Disputationem Astrologicam contra Almanachum Petri Bruchesij à Rithouen*, Græcè ad Franciscum Craneueldium, & Latinè ad Dominum Halowynium Equitem.

CORNELIVS ADRIANI Minorita, Dordracenus dictus, quòd Dordraco Hollandię oppido originem duceret. Huius aliquando Cœnobij, ante vastitatem toto Belgio amplissimi, bis Guardianus extitit; vir admirabilis eruditionis & eloquentię, triũq; Linguarũ, quæ sacræ & sunt & dicuntur, callentissimus, quas & Brugis publicè docuit; Qui annis 36. cõtinuis, populum Brugensem incredibili cum gratia, fructu atq; vtilitate diuini verbi suauissimo pauit alimento, sementem verè spargens euangelicã, tantaq; contentione zizania à malignorũ spirituum fibris euellens, vt verus Brugensium Apostolus; splendor & ornamentũ Christianæ Reip. Catholicæ & Romanæ fidei propugnator acerrimus extiterit, nec secus quàm alter Athanasius, validissimus Hæreticorũ malleus dici potuerit. Quique inter varias huius exulceratissimi sæculi calamitates, inter innumeras Hæreticorum calumnias, & caninos insultus, libellorumq; famosa ludibria, tam inuictã semper animi moderationẽ tenuit, vt nullis vnquam vel hostiũ fidei oppugnationibus, vel rerũ aduersarũ procellis potuerit conuelli. Tandem velut alter Helias Propheta

Ex monumẽtis msſ. Monasterij Franciscanorũ Brugẽsis sic ad me missis.

Domini relictus solus, plenus dierum in festo S. Bonauenturæ, anno 1581. in ipsis Hæreticorum tumultibus, omnibus Religiosis causâ fidei proscriptis, clanculū apud amicos sustentatus ad cœlestia regna à Christo IESV, cui fideliter seruierat, euocatur. Cuius corpus nō sine admiratione summa ab omnibus Catholicis vrbis concomitatum (quod minimè tunc licebat) ipsis hostibus spectantibus, nec quicquam contradicentibus, solemni pompa, & splendidis exequiis in Xenodochio Diui Ioannis, vbi sola tunc erat Catholicorum sepultura, tumulatum est. Huius R. Patris ossa integra & benè disposita inuenta, anno 1615. translata fuère pompâ funebri ex præfato Xenodochio ad nouam extructam & consecratam Ecclesiam, & reposita circa Summum Altare ad latus Epistolæ sub Sarcophago. fuerunt præsentes, qui & eius sepulturam ante triginta quatuor annos curauerant, qui asserebant videntes caput eius: Etiamsi non scirem patrem Cornelium hîc sepultum: verè tamen & sincerè dicerem illud ipsum esse caput ipsius propter certa signa in frontispicio. Cui hinc inde adhuc crines adherebant. Scripta eius post mortem (vti facta calumniis) impudicis salibus, dicteriis, erroribus, ac meris sycophantiis inspersa maligna hæresis vitiauit, & ad ludibrium boni viri edidit.

DOMINICVS LAMPSONIVS Brugensis, olim Domesticus Reginaldi Poli Cardinalis Angli, pòst Secretarius primùm Roberti de Bergis, dein Gerardi à Groesbeke Episcoporum & Principum Leodiensium, demum Ernesti Bauari Archiepiscopi Coloniensis S. Romani Imperij Electoris & Leodiensium quoque Episcopi. Vir fuit in vtraque Litteratura & Linguis aliquot vulgaribus politissimè versatus, Poëta etiā amœnus, cuius varia & elegantia scripta extant. Fuit & Lampsonius Antiquitatum studiosissimus, & sculpturæ

pturæ ac picturæ peritissimus, ita vt laudes eius celebret Vasarus Aretinus, qui vitas Sculptorum, Pictorum, & Architectorum copiosè descripsit. Amicitia Iusti Lipsij clarus. *Belgicos Pictores Illustres Iconibus Versibusq. decorauit, Lamberti etiam Lombardi Eburonis*, quo in pingendi arte Magistro vsus fuerat, *vitam* accuratè *conscripsit*, vbi boni Pictoris imaginem proposuit, haud aliter quàm Xenophon Dux & Philosophus præstans, quum Cyri vitam scripsit, optimi Principis exemplar ob oculos ponere voluit. Senex Leodici viuere desiit anno, ni fallor, 1598. Hubertus Audeiantius mortuo Lampsonio hoc Elogium scripsit:

Est qui Carmine, vúltque penicillo
In præconia Lampsoni tua ire:
Quod est, quódque fuit, tui editurus.
At frustra, neque sit tibi Poëta
Te præter, neque Pictor, aut Apelles
Hic ipsus redeat licet, Maróque.

Edidit Lernutius nuper septem Psalmos Pœnitentiales Lyricis Versibus à Lampsonio conscriptos, Odam item insignem ad eundem Ernestum Bauariæ Ducem.

FRONTIGARIVS DE PLACENTIA fuit Atrebatensis Ecclesiæ Episcopus in Ordine LXIII. teste Gazęo in Catalogo Episcoporum Belgij, item Præpositus S. Petri Insulensis & Consiliarius Philippi Boni Burgundiæ Ducis. Vixit 1439. anno quidpiam eius lucem aspexerit, hactenus ignoro.

FRANCISCVS BRYCHOVIVS Brugensis, Poëta Latinus iuxtà ac Græcus, scripsit & euulgauit *varia*, eaque elegantia admodum in vtraque Lingua *Carmina*.

Franciscvs ab Astvdillo Minorita Brugis parentibus nobilibus & Hiſpanis natus,hortante patruo Epiſcopo Cordubenſi,habitũ S.Franciſci in Hiſpania ſuſcepit.In Flādriam reuerſus dominorum inclytæ nationis Caſtellanorum Confeſſarius & Eccleſiaſtes effectus eſt,ante Conuentus deuaſtationē Guardianus Brugenſis conſtituitur, ſuoque tempore abominationem deſolationis vrbis, & Conuentus non ſine maximis vitæ periculis & anguſtiis vidit,anno 1579.In Prouincialem etiam Miniſtrum Prouinciæ Flandriæ aſſumptus,maxima cum pace quadriennio rexit. Deniq; primus totius Ordinis diffinitor ac Flandriæ Commiſſarius generalis deſignatus eſt. Eccleſiam nouam ab imis vſq; ad altitudinem quatuordecim pedum produxit, anno 1591.atq; refectorium totum conſtruxit. Brugenſis tertiò Guardianus ſalutatus, æternitatis iter ingreſſus eſt; Bruxellis, apud Ducem Parmenſem negotia partractans ſplendidis exequiis honorificâque ſepulturâ tumulatus anno 1592.

Franciscvs Goethalsivs Brugenſis, aliàs Panagathus, librum emiſit *De fœlice & infœlice Rep.* ad Senatum Brugenſem, Louanij impreſſum 1567. Iuriſconſultus eximius fuit, & primarius in Academia Duacenſi Canonum Profeſſor,viuâ etiamnum & conſentiente vxore, Sacerdos factus eſt, atq; in Æde ſancti Amati Canonicus fuit. Supereſt ei Gandaui filius N.Goethalſius ad D. Bauonis Canonicus, vir doctus ac pius.

Franciscvs Everardvs Minorita, Cornelij Dordraceni diſcipulus ac ſectator magnificus, Brugis natus & profeſſus. Orator fuit ſuauiſſimus, ac fons totius eloquentiæ, atque ſyncerus Euangelij præco, qui ad Iubilæum vſque hæreticam gentem cum earum fallacibus technis,

technis, diuino dicendi genere propulſauit, à qua ad vincula vſque & carceres varia paſſus eſt tormentorum genera. Tandem Brugenſis, Gandenſis, & Iprenſis Guardianus, diutinis languoribus à Deo probatus ad feliciorem vitam migrauit anno 1609.

FRANCISCVS LVCAS Brugenſis, Theologus eximius, & Eccleſiæ Audomaropolitanæ Cathedralis Archidiaconus & Decanus. Scripſit primùm *Notationes in ſacra Biblia*, quibus variantia diſcrepantibus exemplaribus loca Romanæ correctionis ſummo ſtudio diſcutiuntur. Excudit Antuerpiæ Plantinus 1580. Idem euulgauit *Orationem funebrem in obitum Iacobi Blaſæi Audomarenſium Epiſcopi*. Exſtant & eius *Commentaria in quatuor Ieſu Chriſti Euangelia*, in folio tribus Tomis, quibus poſteà acceſſit Tomus quartus. Exſtat & eius *Notarum ad varias Lectiones in Euangeliis occurrentes libellus duplex*, quorum vno Græcæ, altero Latinæ varietates explicantur, tractatus item de *Chaldaica ſanctæ Scripturæ paraphraſi*. Item *Libellus Romanarum correctionum in Latinis Bibliis* Sixti Quinti. Item *Inſtructio Confeſſariorum, & Sermones de diuerſis Chriſtianæ fidei myſteriis*.

FRANCISCVS MODIVS Brugenſis, editis in publicum præclaris ingenij ſui elegantis & accurati monumentis, inter huius ætatis viros doctrinâ excellentes non vltimo loco numerandus eſt, vir optimis litteris inſtructus, Poeta eruditus, & Iuris Romani ſcientiâ clarus. Poſt Hermolai Barbari, Budæi & Ioannis Sulpitij Verulani, multorumq; aliorum editiones diligenter *recognouit & emendauit, Flauij Vegetij Renati de re militari libros 4. Sexti Iulij Frontini Stratagematum libros totidem. Ælianum de inſtruendis aciebus, Modeſtū de vocabulis rei militaris*. Impreſſit Coloniæ Maternus Cholinus 1580.

Emaculauit etiam *Iustini Epitomen Trogi Pompeij Historiarum* è msc. Codicibus, edidit & *Quinti Curtij Historiæ Alexandri Magni libros qui extant*. Eiusdem *Poëmata* ad amplissimum & splendidissimum *Erasmum Neustetterum Equitem Francum*, impressa Wirtzburgi 1593. A mendis *Nemesianum & Calpurnium Bucolicos Poëtas* quoq; purgauit. Scripsit de *habitu Monachorum, & Cleri Romanæ Ecclesiæ subiecti*, item *de habitu mulierum*, Francofurti apud Feyerabendiũ 1586. *Praxin rerum Criminalium*, & tractatus *omnium Nobiliorum*, qui in hanc vsque diem extiterunt, *Iurisconsultorum*, in quibus processus publicorum iudiciorum, maleficiorũ, ac suppliciorum omnium, quæ in vsum cadere possunt, ratio non minùs succinctè quàm doctè traditur, in lucem coniunctum edidit, atque in duos tomos distribuit cum indicibus & summariis, ibidem 1587. recognouit eadem diligentia *Repertorium sententiarum & regularium*, item definitionum, diuisionum, differentiarum formularum, singularium locutionum, Epithetorum, dictionum denique omnium *ex vniuerso Iuris Ciuilis Corpore & Glossis*, tam veteribus quàm recentioribus collectarum, tributum in duos Tomos à Petro Cornelio Bredenrodio I. C. Hagimontano in Curia Hollandiæ Consiliario. Idem non diu ante mortem è Monasterio sancti Bertini Audomaropoli acceperat msc. *Codicem Panegyricorum veterum*, eumq; notis illustratum dono dederat Clarissimo viro Marco Velsero Patritio Augustano, à quo eas habuit Ioannes Leuineius, qui non parum adiumenti in sua emendatione ab iisdem habuisse se fatetur. Obiit anno 1597. Canonicus Aeriensis.

FRANCISCVS GROTIVS I. C. præstanti Vir eruditione, inter alia præclara ingenij sui monumenta, reliquit (reste Marchantio) libros Εἰκαστῶν, Latinosque fecit institutio-

ſtitutionum Iuſtiniani libros IV. ex Græca Theophili Anteceſſoris Paraphraſi.

FERDINANDVS SALINAS I. C. Sanctioris in Belgio Conſilij Adſeſſor, & defuncto Ioanne Richardoto Preſide, Vicepreſes fuit, de Rep. Belgica quam maximè meritus. de eo etiam cum laude agit Marchantius.

FERDINANDVS VERANNEMAN Brugenſis I.C. Sanctioris Conſilij Adſeſſor verè prudentiâ, eruditione & auctoritate clarus. Laudatur à Iacobo Marchantio in deſcriptione ciuitatis Brugenſis.

FRANCISCVS POERBVSCHIVS celeberrimi nominis Pictor, teſte Carolo Vermanderio, Franciſci Flori diſcipulus, Petri filius, at patre maior quo etiam nullus præſtantior è diſciplina eiuſdem Flori prodiit. in effigie humana depingenda præcipuus, magnus etiam in efformandis animalibus, plantis, arbuſtis & id genus campeſtribus ſimulacris. Varia etiam & admiratione digna exſtant Antuerpiæ vbi vixit, Gandaui vbi Viglij Zuichenij Tabula in Æde Cathedrali conſpicitur ab eodem faberrimè facta, & alibi. Vide Manderium.

FRANCISCVS RAPARDVS Brugenſis Doct. Medicus, ſcripſit 1551. *Flagellum*, vt vocat, *Prognoſticorum, Medicorum, Empiricorum & Medicaſtrorum*. Cui anno inſequenti Petrus Haſſardus repoſuit clypeum Aſtrologicum, Louanij apud Bergaigne. Titulus Rapardi talis eſt, *Magnum & perpetuum Almanach* à conſuetis nugis liberum eoque verè medicum de Phlebotomia, de Balneis, de purgationibus certiora præcepta continens, apud Ioannem Latium Antuerpiæ.

FRAN-

Ex monumentis Monasterij.

FRANCISCVS TANTIVS Minorita, huius vrbis & Conuentus alumnus, Dunkerckensis & Iprensis Guardianus, aliquot annis Parisiis studuit, sacræ Theologiæ & Philosophiæ Coriphęus effectus, dum tertium studium prosequeretur, ac multos præclaros Lectores procreasset, ætate florenti, magno cum Prouinciæ dispendio & Studiosorum incommodo, ab omnium Conditore rerum accersitur anno 1602. exstant eius msc. in M. Sentent. Commentaria.

GABRIEL IANSENIVS Scholarcha Alostanus in Flandria, puer operam dedit Brugis Gulielmo Likerequio. Scripsit *Tragicomœdias quinque sacras*, ac *tres Fabellas*, quarum hi sunt tituli; Prima, Monomachia Dauidis cum Goliath; Secunda, Nabalus. Tertia, Iudicium Regis Salomonis. Quarta, Cæcus à natiuitate. Quinta, S. Martinus. Fabellarum verò inscriptiones sunt: Prima, Brusquetus Galliarum Regis circulator ac morio. Secunda, Philippus fatuus sub matre stolida. Tertia, Nobilis ruralis. Adiuncta sunt *Epigrammata varia*. Gandaui 1600. apud Manilium.

GALBERTVS Brugensis, fusè & egregiè descripsit *Vitam Caroli Boni Comitis Flandriæ*, Brugis anno 1126. sex. Non. Martias à Burchardo Stratensi, & reliquis parricidis interempti. Eius mentionem facit Meyerus libro 4. Annalium Flandriæ, & Molanus in indiculo Sanctorum Belgij.

GERARDVS Brugensis, Pictor præstantissimus, & miniator etiam egregius, à Vasaro memoratur, & à Ludouico Guicciardino in descriptione Belgij. Vide de eodem versus Dominici Lampsonij. de eo nihil aliud commemorat Vermanderius quàm Gerardum hunc impensis laudibus celebra-

celebratum fuisse à Petro Poerbuschio excellente etiam Pictore.

GERARDVS SOETELINVS Minorita, Ecclesiastes facundissimus, Brugensis Guardianus, Vicarius Prouincialis Franciæ, & Commissarius Generalis Prouinciæ Saxoniæ. Ab humanis sublatus est anno 1518.

GERARDVS VERVSTIVS Minorita, Brugis professus, insignis Lector Philosophiæ & Theologiæ, & diuini verbi Præco extitit; maximaque ab Hæreticis, vt verus illorum malleus, est perpessus. Gandaui, Ipris, Hulsti, Dunkerckæ Guardianus. Post quadragesimales conciones Furnis piissimo fine in Domino quieuit anno 1596. *Ex monumētis Cœnobij.*

GEORGIVS A TENSERA Brugensis, memoratur à Ferreolo Locrio Sanpaulinate in Chronico Belgico ad annum 1189. 1222. 1223. 1225. 1252. Scripsit Historiam Atrebatensem, & ex eius Collectaneis msc. multa se hausisse fatetur Meyerus.

GISBERTVS BAHVSIVS Carthusianus è Priore Bruxellensi Brugensis Carthusiæ moderator effectus, transtulit, dum adhuc (vt ait Petreius in Bibliotheca) cupitis Rachelis vacaret amplexibus *Belgico Idiomate Opusculum R. Patris Lucæ Pinelli de perfectione Religiosa*, quod Antuerpiæ prodiit anno 1605. in octauo, Latina verò editio Coloniæ in duodecimo apud Balthasarum Clypeum anno 1602.

GVALTERVS Episcopus Pictauorum à Nicolao Tertio creatus, de ordine sancti Francisci, scripsit iubente Alexan-

 dro IV.

dro IV. Pontifice Maximo *in libros Magistri Sententiarum. Quodlibetorum librum, Rudimenta concionatoribus, Sermones per annum*; cæterum eiusdem alia recensentur à Bunderio in Indice librorum msc. per Belgium. *Commentarij in libros Sententiarum* olim msc. Brugis & Ipris apud Franciscanos. Item *Tabula Originalium* in Bodeloensi Monasterio msc. *Tractatus de Pœnitentia* olim Ipris apud Tertiarios *Quæstiones disputatæ.* Floruit 1250. Vide Meyerum lib. xi. Annalium.

Gvido Lavrinvs Brugensis, Dominus de Clinckerlant, Marci Laurini, de quo infrà dicetur, frater germanus, vir summo ingenio, moribus suauissimis, ac singulari probitate, antiquitatum studiosissimus, ac elegans Poeta. Eius *multa exstant Carmina*, ac inter cætera in Iulium Cæsarem Huberti Goltzij. Eiusdem *Commentationes in eundem Cæsarem* commemorantur in Catalogo Officinæ Goltzianæ. Naturæ concessit Insulis, sepultus in D. Mauritij. Legitur & *Dialogus Telluris & Platonis* ab eodem scriptus, in Thesaurum antiquorum numismatum aureorum sub Vespasiano Aug. depositum & repertum 1561.

Vilhelmus de abel · vocatur in carta capitgnalis an. 1472

Gvlielmvs Abselivs Carthusianus ex professo Domus Capellæ iuxta Angianũ, electus est Brugensium Prior; vir nimirum (vt ait Petreius) tam generis nobilitate quàm litterarum monumentis clarus adeò, vt mirari liceat meritò, nec Trithemium, qui tamẽ isto vixit sæculo, nec cæterorum quempiam, vllam illius mentionem facere præter vnicum Bostium, ex quo sua mutuatus est Dorlandus. Porrò quas Bostius illi adscribit lucubrationes, hæ sunt: Inter alia, inquit complura, *Tractatum elegantissimum ad semper candidam cæli Reginã more condidit oratorio.* Hugoni quoq; de Vercondis Traiectensi Monacho Vallis gratię dicauit *Opusculum de vera pace,*

pace, insuper ad charissimum sibi Priorem propè Angiam scripsit, *Tractatum super Oratione Dominicâ Carmine eleganti*, sed & *Epistolarum* elegantissimarum *complures* scripsit *libros*, quorum vnus est ad Christo dicatam Virginem genere, moribus ac litteraturâ perinsignem Mariam de Os, charissimam sibi ex sorore neptem, apud Teneramundanos Brigittanarum Virginum Abbatissam. Cui etiam alia nonnulla dedicauit opera. Scripsit etiam *Speculum, & de officio Marthæ*, necnon & *Dialogum* quendam lectu iucundum, vbi ipse veluti pater filiam spiritalem de multis perbellè instruit, & alia quædam, quæ temporis iniuria sustulit. Ipse postquam annos quadraginta in ordine laudabiliter fuisset, obiit anno 1471. s. aug. ex caxa capti gratiis 147-

Gvlielmvs Dominikei, Brugensis Poëta, scripsit *Versus elegantes* ad varios amicos doctosque viros; extat ad hunc Lucæ Feuterij itidem Poetæ Carmen, seu responsio, sic incipiens:

Quale nouem sacris Parnassi in vertice Musis,
Cynthius argutis temperat articulis;
Quale Cupidineæ cantabat Naso Corinnæ,
Furtiui referens gaudia coniugij:
Tale tuum nobis Carmen Dominikule, talis
Venit ab articulis charta notata tuis, &c.

Gvlielmvs Pamelivs, primùm Curiæ Flandricæ, dein Sanctioris Concilij Præses. Vir fuit Regi Deoq; cumprimis fidus ac iustitiæ æquitatisque assertor summus. Eximiis laudibus effertur à Iacobo Marchantio. vitã eius quoq; descripsit Dionysius Harduinus, quæ msc. est apud illustrem virum Emmanuelem Sueyrum Equitem Lusitanum.

GVLIELMVS MALINÆVS Brugensis, in linguam Latinam transtulit *Commentaria Hispanica*, *Ludouici ab Auila* Præfecti Alcantarensis *de bello Germanico à Carolo V. Cæsare gesto* libris duobus, Antuerpiæ apud Stelsium 1550. Vixit in aula eiusdem Caroli à cubiculo eius, vir præter priscam probitatem, priscâ & eleganti doctrinâ imbutus. Vide Valerium Andream in Bibliotheca Belgica.

GVLIELMVS TAELBOOMIVS Brugensis, Pastor primùm S. Annæ, & sacrarum Litterarum apud Brugenses Professor, pòst Canonicus & Archidiaconus Audomaropolitanus. Scripsit *Laudationem funebrem in obitum Iacobi Pamelij* Episcopi Audomaropolitani designati, Antuerpiæ typis Petri Belleri. 1589. in 4. Brugis verò 1580. *Orationem pro defensione Catholicæ Religionis*, habuit & *Disputationem de Verbo Dei* non scripto, cum sectæ Caluinianæ ministris; excudit Louanij Ioannes Masius 1588. quam disputationem habuit coram Senatu & Ciuibus Brugensibus: scripsit & *Apologetica Catholicæ Religionis*, quibus Epistola adiuncta est ad Reuerendissimum Dominum Remigium Druitium Episcopum Brugensem, quâ explicatur scripti occasio, & argumentum.

GVLIELMVS ZENOCARVS, vulgò Snouckaert à Schauwenburgo, Toparcha Bruckhorstius, in Curia Hollandiæ Consiliarius, ac militiæ auratæ Eques, I.C. Historiarũ, Græcæ linguæ, & antiquitatum studiosissimus, ac Carolo V. Cæsari à Bibliothecis. Descripsit copiosè *Vitam & gesta eiusdem Caroli libris VII. numero*, vt ait Marchantius *pondere & mensura* ad Illustres aurei velleris Equites. Gandaui 1559. Primùm Parisiis Zenocarus vocatus fuit in comitatu Cornelij Sceppperi Oratoris Cæsarei; cui à secretis erat. Galli enim non assueti pronunciationi dictionum incipientiũ ab elementis Sn, mol-

Sn, mollientes vocabulum ex Snouckaert fecerunt Zenocar, & Gulielmus se Gallis accommodans, addidit terminationem Latinam, & Zenocarus dici cœpit, atq; ita deinceps per Europam innotuit.

HENRICVS COESVELDIVS Carthusianus obiit in Brugensi Carthusia anno 1410. Opera aliquot insignia reliquit. *In Exodum mysticè, in Epistolam D. Pauli ad Romanos, de tribus votis substantialibus. Contra vitium proprietatis, de institutione nouitiorum, de Sacramento Altaris, de Annunciatione Dominica, Eulogium D. Pauli Eremitæ, Sermones de tempore & Sanctis, de tribus custodiis monasticis, de Sacratissimo Altaris Sacramento iterùm, Circumcisorium mysticum*, &c. Vide Trithemiũ & Petreium.

HENRICVS PRVDENS Carthusianus, Prior fuit Vallis gratiæ propè Brugas, à Trithemio & Bostio commendatur. Scripsit *pro Religiosorum instructione quædam* in suo genere præclara. Inter alia *Tetralogum deuotionis*, & in tres partes secundùm statuum differentias, nempè, *incipientium, proficientium, & perfectorum* distribuit per modum Dialogi. Obiit autem in Carthusia Boscoducensi, quæ S. Sophiæ titulo gaudet, quod circa annum Domini 1453. captà à Turcis Constantinopoli ac profanato augustissimo illo S. Sophiæ templo, in eius rei memoriam erigi cœpta sit. Vide plura apud Petreium.

HENRICVS ZYPAEVS Abbas S. Andreæ iuxta Brugas è Priore Cœnobij Affligemensis, vir non minùs virtute ac prudentià, quàm eruditione clarus, scripsit *librum pro Monachatu S. Gregorij Magni*, contra quosdam asserentes, eum non fuisse de Ordine S. Benedicti.

HERMANNVS PETRVS Sutdorpæus Carthusianus. Vir fuit in diuinis Scripturis probè admodum versatus, ac vitæ integritate celebris, quippe qui Brugensis Carthusię monialibus per annos triginta circiter magna cum laude præfuit, quarum spiritali profectui vt plus adiumenti adferret, scripsit *de regimine monialium librum vnum.* Item *super Oratione Dominica Sermones* L. apud Ioannem de Westphalia Louanij anno 1484. in folio. *Sermones de tempore & Sanctis lib. 6. de Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis*, aliaque complura. Vide Petreium.

HVBERTVS AVDEIANTIVS Brugensis, ad D. Donatiani, dum viueret, Canonicus, vir candore & eruditione egregius fuit. Scripsit *varios & amicorum operibus præfixit versus*, elegantes planè ac laude dignos. Legitur & Carmen ab eo scriptum in fama posthuma Iusti Lipsij, cum quo aliquando Louanij habitârat, & cum virtute viri maximi doctrinam vberem hauserat.

HVBERTVS EYCKIVS Pictor inclyti nominis, frater Ioannis, de quo infrà, memoratur à Georgio Vasaro Aretino vltimo volumine Commentariorum, quos scripsit de vitis clarorum Pictorum, Sculptorum & Architectorum, & à Ludouico Guicciardino in descriptione Flandrię. Eius opera & tabulæ eleganti arte depictæ visuntur in præcipuis Flandriæ oppidis. Decessit Gandaui, & sepultus est in latere sinistro anterioris partis Ecclesiæ D. Ioannis Baptistæ, quæ tunc Parochialis, pòst Collegiata, nunc Cathedralis auctoritate Pauli Tertij Papę Diuo Bauoni sacra est. Miris laudibus & hunc extollit & meritò quidem, Carolus Vermanderius magno suo de claris Pictoribus volumine teutonicâ Linguâ scripto. Eius vna è celebribus & præ cæteris eximia

tabula

tabula visitur Gandaui in Æde eadem Bauoniana, de qua sic Vrientius:

Quos Deus ob vitium paradiso exegit Apelles
Eyckius hos vitij reddidit ære patres.
Arte modoque pari pariter concurrere visi
Æmulus hinc Pictor, fictor & inde Deus.

HVBERTVS GOLTZIVS, natus Venlonæ apud Geldros anno 1526. 3. Kal. Nouemb. patre Rutgero Herbipolita. Sculptor & antiquitatum omnis generis altissimus Gurges. Adr. Iunij Elogio, eoque nomine ciuitate Romanâ donatus, familiaris admodùm vixit nobilitate & doctrinâ claris Marco & Guidoni Laurinis fratribus: quorum operâ ac hortatu Italiam, Galliam, Germaniamque lustrauit antiquitatis vestigandæ, atque eruendæ gratia Brugas reuersus, eorundem ære ac studio edidit *Imperatorum ferè omnium imagines à Cæsare ad Carolum V. fastos Magistratuum*, &c. *Romanorum ab V. condita ad Augusti obitum* ex antiquis numismatis. *Catalogum Consulum* adiecit his *ab Augusti obitu ad Iustinianum vnà cum triumphis.* Item *Animaduersiones in aliquot fastorum locos.* Item de *Origine & Statu populi Romani, de Magistratuum apud Romanos initiis ac mutationibus. Thesaurum rei antiquariæ, Græciam* siue *Historiam vrbium & populorum Græciæ*, ex antiquis numismatis. *Vitam & res gestas Iulij Cæsaris*, item *Augusti* ex nummis. *Itinerarium per Italiam, Germaniam, ac Galliam.* Obiit Brugis 1583.

HVGO A GOES, teste Carolo Vermanderio in suo de claris Pictoribus libro, discipulus fuit Ioannis Eyckij, à quo mixturam olei cum coloribus in primis didicit. Varia eius visuntur, inprimis Gandaui eximia conspicitur tabula, in qua-

qua Abigaïl Dauidi occurrit, Brugis in Ecclesia S. Iacobi imago Crucifixi, &c. Obiter hîc adiungam pinxisse olim & habitasse etiam Brugis, M. Angelum Bonarotum teste Marchantio in descriptione Brugarum.

IACOBVS BLASAEVS Brugensis ex Ordine Minorum Franciscanorum, è Cœnobio Duacensi, anno 1597. ad Namurcensem, inde Audomarensem Cathedram euectus est. Anno verò 1598. pridiè Kal. Ianuarias, Bruxellis in D. Gudilæ *Orationem dixit in funere Philippi Secundi Hispaniarum Regis verè Catholici*, sermone Gallico, quo in primis excellebat, typis editam. Eum ante paucos annos vitâ functum laudauit Franciscus Lucas itidem Brugensis Theologus, ac Audomaropolitanæ Ecclesiæ Decanus, funebri oratione, quâ illius egregias virtutes, claraque facta recenset.

IACOBVS DE BRVGIS Ordinis B. Mariæ Virginis de monte Carmelo. Scripsit *de impossibilitate animæ librum vnũ*. Item *de motu intellectus librum vnum*, & alia. Claruit anno Domini 1320. Meminit Ioannes Bacontorpius in 2. Sententiarum dist. 29. quæst. 1. ac Godefridi Cornubiensis Parisiis auditorem facit, vt habet Bibliotheca Tigurina ex Iuliano Hasarto Hannonio Angiensi Carmelita, qui Thesaurum sui Ordinis scripsit.

IACOBVS DE OSTENDA, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, sacræ Theologiæ Doctor fuit, & à Consiliis Illustrissimo Flandrorum Comiti, an verò quidpiam in lucem emiserit, è monumentis Augustiniani Cœnobij, quod Brugis est, & in quo ille habitauit, non liquet.

IACOBVS CRVCQVIVS Messinius, apud Brugenses publicus

publicus eloquentiæ Professor. *Q. Horatij Flacci Opera* ex msc. Codicibus castigauit, additis veterum interpretum ac suis Commentariis, Antuerpiæ apud Plantinum, & Lugduni Batauorum apud Franciscum Raphelengium in 4. 1620. Scripsit & *Enarrationem in Orationem M. Tullij Ciceronis pro Milone*, typis Plantini 1582. Vir fuit antiquitatum studiosissimus, ac Georgij Cassandri in professione bonarum litterarum Brugis successor, in ea Academia, quam Episcopus Cubæ ex Wittorum stirpe, instituit. Exstant & eius *Elegantia Carmina*, quibus nomen suum ab omni obliuione apud posteros vindicauit.

IACOBVS FONTANVS I. C. & Iudex appellationum populi Rhodiensis, familiaris Liladami Magni Rhodiorum magistri. Scripsit *de Expugnatione Rhodi* Epistolam ad Adrianum VI. Basileæ, cum Iacobi Sadoleti oratione de bello Turcis inferendo, aliorumque similis argumenti opusculis, apud Thomam Platterium. *Belli Rhodij historiam, libros tres*, Parisiis apud Wechelum, Haganoæ apud Ioannē Secerium, & Basileæ Tom. 2. rerum Germanicarum, *Scholia in Iustiniani Codicem in Constitutiones Bonifacij & Clementis, Vitam Ioannis XXII. Pont. Max.* Lutetiæ simul edita.

IACOBVS KIMEDONCIVS peruersus, Harduino teste, Caluiniani Dogmatis propugnator & hæreticus, Heydelbergæ in Palatinatu Professor fuit. Scripsit *de Redemptione generis humani, libros tres*, cui accessit Tractatio *de diuina Prædestinatione*, vno libro comprehensa. Aduersus Kimedoncium sæuis conuitiis in nomen IESV, & imposturis in Sacrosanctam Iesu Christi Ecclesiam debacchantē, negantemq; Christum Iesum pro toto genere humano mortuum, scripsit Samuel Huberus Tubingensis Theol. Lutheran. Scripsit &

F Kime-

Kimedoncius libros tres *de Verbo Dei scripto* ad S.P.Q. Middelburgensem. *Duos* item *de Verbo non scripto* ad S.P.Q. Vlissingarum. Extat eiusdem Oratio funebris in mortem Ioannis Casimiri, qui Frederici Comitis Palatini Tutor & Patruus, eiusdem ditiones administrauit, variasque calamitates, incendia, & clades Catholicis intulit, ac velut onager & singularis ferus, quantum in se fuit, vineam Domini Sabbaoth depastus est. Quare omnia eius scripta proscripta sunto, ipseque auctor damnatæ memoriæ habetor.

IACOBVS LERNVTIVS, Iani Lernutij viri præstantissimi filius, earundem, quibus pater excultus fuit, disciplinarum amans ac callens, moribus quoque candidus, ac ingenio amœnus, edidit Preces Metricas à Macrino, Aurato, Bacherio, Victore Gizelino, & alijs Poetis exercitiis Christianæ Pietatis aptatas. Parat & alia quædam vti propria, ita Maximiliani Vrientij Poëtæ Gandauensis, quæ msc. apud hæredes latent opuscula.

IACOBVS PAMELIVS natus est Brugis anno 1536. 3. Idus Maias Adolpho Patre Carolo V. Imperatori à Sanctiori Concilio, e nobili Baronum de Pamele stirpe. Puer religiosis Bonestiensibus (quod est Ordinis Cisterciensis Cœnobium in agro Namurcensi) à parentibus litteris, moribusque formandus traditus est. Philosophiæ operam dedit Louanij, ac nouem ipsos annos sacris litteris diligentissimè incubuit. Præceptoribus vsus Ruardo Tappero ac Iudoco Raesteynio, quibus plenius percipiendis, Sorbonam Parisiensem, aliasque Europæ Academias cum fructu & ingenij cultu visit; Louanium reuersus Licentiæ Theologicæ gradum consecutus est, & in Patriam concessit, in eo totus, vt Dei honorem Ecclesiæque promoueret. Cumque ingenio, iudicio, rerum-

rerumque vſu valeret plurimum, Petro Curtio ac Remigio Druitio Epiſcopis Brugenſibus, aliiſque à Conſiliis fuit. Quapropter Brugenſes Canonicatum ad S. Donatianum Audomarenſes Eccleſiæ ſuæ Archidiaconatum, Rex ipſe Præpoſituram ad S. Saluatorem Traiecti, ac demum conſentientibus votis Audomaropolitanæ vrbis Epiſcopatum in eum contulêre, cuius rei gratia Bruxellam dum cogitat, in medio itinere Hannoniæ Metropoli, morbo ac morte corripitur anno 1587. ætatis 52. 13. Kal. Octob. Conditus ibidem in æde D. Waldetrudi ſacra, quæ eſt nobiliſſimarum Virginum Canonicarum. Funebri eum laudatione proſecutus eſt Gulielmus Taelboomius in Archidiaconi munere & dignitate ſucceſſor, quæ typis exſtat edita. Scripſit verò Pamelius doctè & accuratè, vt erat doctiſſimus & in hiſtoria ſacra prophanaque verſatiſſimus *Liturgica Latinorum*, hoc eſt, de ritu Sacrificij Miſſæ apud Latinos ab Apoſtolis & Patribus obſeruato *Tom.* 11. *Digeſta* Coloniæ 1571. apud Quentelium. Habebat & præ manibus *Liturgica Græcorum*, ac de Græcæ ac Latinæ Eccleſiarum in Miſſæ Sacrificio concordia, ſed morte auctoris interrupta hæc tela eſt. *Relationem ad Belgij Ordines de non admittendis vna in Rep. diuerſarum Religionum exercitiis*, Antuerpiæ apud Plant. 1589. Edidit prætereà è tenebris erutum *Micrologum de Eccleſiaſticis obſeruationibus*, ibidem, *Caſſiodori diuinas Lectiones* adiecit, *Catalogum commentariorum veterum ſelectorum in vniuerſa Biblia. B. Cypriani opera*, omnia è Codicibus mſc. accuratiſſimè recognouit, annotationibus luculentis toti operi ſparſim inſertis præmiſſaque auctoris è ſcriptis illius vita à ſe Pamelio collectâ. *Tertulliani quoque opera Tomus* V. digeſſit è mſc. Codicibus, auxit, ac recenſuit, argumentis ac annotationibus doctiſſimis toti operi interiectis; moliebatur editionem Rabani Mauri, aliaque deſtinauerat, vt recenſet in ora-

tione funebri idem Taelboomius. Pamelio hoc est Epitaphium:

Nobili Viro Iacobo Pamelio Presbytero, Summo Theologo, D. Saluatoris Vltraiectensis Præposito, Ecclesiæ Audomaropolitanæ Archidiacono, & eiusdem Ecclesiæ nominato Episcopo, multis in Cyprianum, Tertullianum, aliosq; Scriptores monumentis editis clarissimo intempestiua eheu! morte abrepto fratres mœstiss. PP.

IACOBVS PLANCIVS Brugensis Poëta. Huius exstant *Græci pariter ac Latini suaues Versus.* ita de eo Dionysius Harduinus in suo msc. Flandrorum ingenij monumentis scriptisque illustrium virorum Nomenclatorē. Illius ego hactenus nihil editum vidi.

IACOBVS ROVSSEAV Minorita, & PETRVS frater eius vterinus, vitæ integritate summâ & admirabili eloquentiâ Brugis spirituale semen verbi Dei disseminarunt. In ipso iuuentutis flore vterque occubuit. Senior moderator iuuenum, anno 1591. Iunior verò inter quadragesimales labores, primo sui Guardianatus Brugensis anno necdum expleto, anno 1602.

Ex Actis Monasterij.

IACOBVS RÆVARDVS (quem Belgij nostri Papinianum Iustus Lipsius nominare solebat) natale agnoscit solum Lisseweghen, quod est agri Brugensis municipium, in quo circa annum 1536. natus est parentibus opulentis, honesto loco, ac stirpe; Iurisprudentiæ Tyrocinium Louanij fecit; incepta hinc studia Aurelijs gnauiter prosecutus est, & priusquam in Belgium rediret, ornari titulo I. C. meruit;

Brugas

Brugas reuersus in Senatorium ordinem non semel est adlectus, euocatus mox crescente viri doctissimi famâ ab Vniuersitate Duacena ad Iuris professionem. Quod munus cum laude obiit, variaque ingenij monumenta posteris reliquit, vti sunt: *Variorum, siue de Iuris ambiguitatibus libri quinque.* Brugis 1565. *Pro tribunalium liber singularis* ibidem, *de Auctoritate prudentum liber vnus*, typis Plantini, *de Iure liberorum lib. vnus, de veris vsucapionum differentiis* aduersus Trebonianum, *Commentarius ad Legem Scriboniam* ibidem. *Commentarius ad Leges duodecim Tabularum, Cõmentarius ad Tit. Pandectarum de diuersis regulis Iuris. antiqui*, typis Plantini 1568. *Conectaneorum libri tres.* Opus posthumum typis Wechelanis 1601. Estque pars secunda operum Ræuardi semel iterumque editorum iisdem typis. Obiit Brugis anno 1568. Kal. Iunij ætatis 34. cùm eò valetudinis curandæ gratiâ (Phtysin enim ab immodico studio contraxerat) concessisset. Sepultus in natali municipio, vbi marmorei aliquot maiorum Ræuardi tumuli visuntur. Ianus Lernutius eum Epitaphio honorauit, quod in Elogio Miræus recenset.

IACOBVS STRATIVS Societatis IESV Theologus, natione Belga, Collegij Brugensis Rector, pietate & concionibus clarus (vt ait Ribadeneira in Appendice Scriptorum eiusdem Societatis) edi permisit tacito nomine, Belgicè à se piis hominibus transcripta *Soliloquia animæ Thomæ à Kempis.* Edidit & *Meditationes Liturgicas* Antuerpiæ apud Knobbarum, item *Teutonico idiomate declarationem præcipuorum articulorum antiquæ Romanæ Catholicæ fidei*, qui à nouatoribus huius æui in controuersiam vocantur. Stimulos etiam pietatis ad sacrificium Missæ piè audiendum & faciendum, Antuerpiæ apud Gasparem Bellerum.

Iacobvs Typotivs vir in politiore litteratura fuit eximius, quod è tribus ipsius *Tomis Symbolorum diuinorum & humanorum*, quæ anno sæculari ex Musæo Octauij de Strada edidit Ægidius Sadelerius Pragæ, satis constat.

Iacobvs Veldivs Brugensis, Doctor Theologus Louaniensis, & Prouincialis EremitarumS. Augustini per Belgium, Ecclesiastes facundus, edidit *Tabulas in Euangelia & Epistolas Quadragesimales*, Louanij 1565. & Venetiis 1566. in 8. *Enarrationem paraphrasticam Euangeliorum Quadragesimalium*, Antuerpiæ apud Plantinum 1570. *Enarrationem paraphrasticam Epistolarum Quadragesimalium*, Louanij 1573. *In Passionem Domini Commentaria*, & *In Danielem Prophetam* pro Concione explicatum. Antuerpiæ excudit Bellerus 1576. Scripsit & sermone vernaculo *de vera Corporis Christi in Eucharistia præsentia*, Antuerpiæ 1580. *Commentaria* eiusdem *in Threnos Ieremiæ*, leguntur Louanij apud sui Ordinis Sodales. Decessit Audomaropoli 1580. quo ob Catholicæ Religionis studium pulsus in exilium ab Hæreticis fuerat.

Iacobvs Cvrtivs Brugensis I.C. Primarius Magistratus Brugensis Consiliarius, & Graphæus. Scripsit Εἰκαστῶν seu *Conjecturalium Tomos II* Louanij 1554. Antuerpiæ 1589. & Francofurti 1598. Plura id genus Critica Brugis apud hæredes latent. Præterea *Institutionum Iuris Ciuilis lib. IV. ex Græca Theophili Antecessoris Paraphrasi Latinos* fecit, Pictauij, Coloniæ, & Louanij editos, eosque dedicauit viro amplissimo D. Iacobo ab Halewijn, Equiti aurato, Domino de Maldeghem, Wtkercke. Fuit Curtius Philosophiæ præceptis & Iuris scientiâ egregiè imbutus & formularum forensium scientissimus.

Ianvs

IANVS LERNVTIVS Brugensis, natus anno 1545. Idibus Nouembris, vincta solutaque numeris oratione promptus, ac magni illius Iusti Lipsij Galliæ, Germaniæque Academias lustrantis indiuiduus Comes, vir eximij candoris fuit, & doctrinę excellentis. Scripsit *Ocellos Poëmata*, Antuerpię typis Plant. 1579. *Epinicium Ambrosio Spinolæ dicatum*, ibidem excudit Verdussius 1607. *Epicedium siue funus Lipsianum*, ibidem 1607. *Idyllia Filio Dei & magnæ Matri Virgini sacra*, Louanij apud Masium 1602. *Encomiastica, Ordinibus Flandriæ*, 1604. Brugis. *Basia* item & *Initia siue de creatione mundi atque Epitaphia, aliaq́*, Lugduni Batau. edita 1614. Denique *Caroli Flandriæ Comitis martyris vitam prosa oratione*, quomodo & ante annos propè quingentos conscripsit Galterus Teruacensis, editam nuper Lutetiæ.

IOANNES ALNOSIVS Brugensis, Medicus Tibure in Latio clarus anno 1557. edidit libellum *De Nummis antiquis ac marmoreis inscriptionibus*, teste Dionysio Harduino in suo msc. Nomenclatore Virorum Flandriæ eruditorum, qui iuuenis illas Italię oras diligenter lustrauit.

IOANNES AB ARVNDINE Carmelita Brugensis, Episcopus Vsbitensis & Suffraganeus Dauidis Episcopi Vltraiectini, viuebat 1495. quadragenarius teste Trithemio. Scripsit recensente eodem & Petro Lucio *Lecturam notabilem in librum Sapientiæ*, *Commentarium in Epistolam Pauli ad Romanos. In Psalmum, Beati immaculati. Sermones de tempore & Sanctis.*

IOANNES CAMPIONVS Canonicus Diui Donatiani Brugensis, vir litteris insignis, memoratur à Iacobo Meyero in Annalibus Flandrię sub annum 1362. quo ille desiit esse in

viuis.

viuis. Vnde hæc ad verbum in libro obituum, illic exſtat memoria. Obitus commendabilis Rhetoris ac Poetæ Domini Ioannis Campioni Scholaſtici, & Canonici huius Eccleſiæ, qui dedit LIV ſolidos.

IOANNES CASENBROTIVS, Vir corporis ingenijque dotibus amabilis quidem, principibuſque in aula Belgica viris percharus, atque adeò amicitiâ & familiaritate Lamoraldi Comitis Egmondani (vt ait Harduinus) paſſim notus, cui Flandriam Artheſiamque gubernanti fuit à Conſiliis, ſed quod nō ſatis ex fide conſuluiſſet, & Iconoclaſticę an. 1566. auctor haberetur, Ferdinando Aluaro Toletano Albæ regulo Belgium procurante, in arce Viluordiana cum aliis quibuſdam coniuratis capite plexus, docuit infœlix ſuo exemplo, malum Conſilium conſultori eſſe peſſimum. Ingenium habuit in numerato, vt qualibet de re ex tempore ferè, diſertè diceret memoriter. Exſtat eius *Oratio in quodlibeticu* Louanij 1558. habita cum aliis quibuſdam in funere magnorum virorum dictis. Legitur & *Carmen elegans in laudem Marci Laurini & Huberti Goltzij*. Item *Epiſtola præfixa Operi Petri Pecquij in Tit. Iuris de re nautica*. Ita Europæ toti pernicioſa illa Caluiniani dogmatis peſtis viros etiam alioquin magnos adflauit & perdidit.

IOANNES ALARTIVS Minorita, inſignis ſuo quo florebat tempore Eccleſiaſtes ac ſupremus Lector Theologus, ex cuius Schola, velut ex equo Troiano, famoſiſſimi quique Patres poſtmodum Prouinciæ Lectores prodierunt. Cuius vitam ſanctitate plenam placidiſſima mors ſuſcepit, anno 1563.

IOANNES DELRIO Brugenſis I. V. Licentiatus, Protonotarius

notarius Apostolicus & Ecclesiæ Cathedralis Antuerpiensis Decanus ac Vicarius Episcopi, edidit habitam à se *Orationem in funere Reuerendissimi Domini Ioannis Miræ Antuerpiensis Episcopi*, typis Plantinianis anno 1611. item expositionem moralem Psalmi 118. *Beati Immaculati.* Alium quoque librum, cui titulus, Fasciculus Myrrhæ, siue expositio in Septem Psalmos pœnitentiales. Obiit anno Domini 1624. cùm multa ante piis locis ac hominibus liberaliter donauisset.

IOANNES CASTELIVS Cheluus Flander ex Pædonomo nobilitatis Flandricæ, pastor animarum Somerghemiensis, Latini ac Græci sermonis callentissimus fuit, edidit *Institutiones artis Grammaticæ*, collegit & *Epithetorum farraginem*, typis Plantini 1573. fertur quoque Latinè reddidisse quædam *Veterum Græcorum Epigrammata*, itemque *Paraphrasim in Hesiodi opera, & Dies* cum Commentariis elaborasse. Legitur denique *eiusdem Elegia in C. Iulium Cæsarem Huberti Goltzij* satis ampla.

IOANNES DE WITTE vir de Brugensi Rep. optimè meritus ex Ordine Fratrum Predicatorum, primus in America Cubensis Ecclesiæ fuit Episcopus. Instituit in patria Lectionem publicam eloquentiæ & Historiarum, quam aliquando Ioannes Otto & Iacobus Cruquius tenuêre. fuit à confessionibus & Eleëmosynis Eleonoræ Lusitaniæ & Franciæ Reginæ. Moritur anno 1540. apud Dominicanos sepultus.

IOANNES EYCKIVS Pictor celeberrimi nominis, frater Huberti, de quo suprà, inuentor colorum oleo è lini semine expresso mixtorum, quibus ipse solebat sua pingere tam

in tabulis ligneis quàm telis hic multas à ſe depictas imagines miſit ad Alphonſum Aragonium Regem Neapolis, ad Federicum item Vrbini Ducem, & ad Laurentium Medicem S. Hieronymum artificioſiſſimè laboratum. Multa eius viſuntur Ipris, Brugis & Gandaui, vbi honeſtiſſimè vixit. Eius tabulam Gandaui in æde Cathedrali poſitam, quæ Triumphus agni eſt, cùm Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex mirum in modum deſideraret, nec auferre daretur, iuſſu Regis acceptâ duorum millium ducatorum mercede præter victũ & alias impenſas, iterùm pinxit Michaël Coxius. Memoratur hic Ioannes à Georgio Vaſaro & Ludouico Guicciardino, & Carolo Vermanderio, multiſque elogiis celebratur. Sepultus eſt Brugis in D. Donatiani cum hoc Epitaphio: Hic iacet eximiâ clarus virtute Ioannes, &c.

IOANNES FENINVS Brugenſis, ad D. Donatianum Canonicus, in patria doctrinæ nomine clarus fuit, & aliquid elucubraſſe fertur in Philoſophia, quod hactenus non vidi (ait Harduinus.) Extant verò aliquot Eraſmi Roterodami ad hunc Epiſtolæ.

IOANNES FERDINANDVS frater Caroli, de quo ſuprà actum eſt, Brugenſis, vir vndequaque doctiſſimus, Philoſophus, Orator ac Poëta celebris, diuinarum Scripturarum non ignarus, ingenio ſubtilis ac eloquentiâ famoſus. Caroli VIII. Regis Gallorum Muſicus, ab eodẽ perpetuo ſtipendio donatus. Scripſit multa tam metro, quàm proſâ *de S. Ioanne Baptiſta, Orationes, varias Epiſtolas, & Epigrammata multa. Horas* compoſuit *S. Crucis & Compaſſionis S. Mariæ Virginis*, Pariſiis excuſas. Claruit 1494.

IOANNES DE BRVGIS, teſte Dionyſio Harduino, ſcripſit librum *De varietate Aſtronomiæ.*

IOAN-

IOANNES FEDERICVS Minorita Brugensis, vir sanè omnium calculis sapientissimus, doctissimus, atque Deo deuotissimus. Qui ob ingenitam animi dexteritatem atque mansuetudinem, secundò pacatissimè Prouinciam Flandriæ minister Prouincialis existens, gubernauit. Naturę debitum exoluit anno 1554.

IOANNES GLAPIONVS Minorita, vitâ & eruditione præcellentissimus, ac suâ ætate diuini Verbi præco celeberrimus. Qui posteà in Romana Curia Generalis Commissarius, & Procurator Ordinis, necnon huius ac Prouinciæ Burgundiæ Prouincialis existens, ob singulares virtutum prærogatiuas, vberem sacram, & non vulgarem multarum rerum prudentiam ab inuictissimo Imperatore Carolo in Confessorem est assumptus. Tandem cùm à Reuerendissimo Patre Generali Ministro Francisco Licheto ordinatus fuisset Commissarius generalis, ad partes Indianas dictas Les Perles Infideles, antequam commissionem executioni mandare valuit, Vallisoleti Prouinciæ Castellæ summo cum omnium luctu esse desiit, anno 1522. die 15. Septembris. Inter cætera priuilegia à Summo Pontifice Leone Decimo accepta, viuæ vocis oraculo impetrauit, vt in nocte Natiuitatis Christi, omnes fratres Brugis morantes ab omnibus quantumlibet grauibus punctis possent absolui, dummodo spe huius Indulgentiæ, nullum graue crimen admisissent.

IOANNES DE TECTO Minorita, vixit anno 1515. fuitque vir doctissimus ac omni pietate & scientiarum genere affatim refertus. Idem anno 1523. zelo Dei & animarum accensus, inter primos Occidentales Indias adiuit, binosque socios assumpsit, Patrem videlicet Ioannem de Aora Con-

cionatorem eximium fratremque Petrum de Muira, à Gandauo dictum, quòd videlicet Gandaui in Flandria natus esset.

IOANNES ROYARDVS Minorita, non solùm in Conuentu Brugensi annis viginti quinque doctissimi Concionatoris munere assiduè functus est, verùm etiã postquam Commissarius generalis in Scotia fuisset, totum pęnè orbem eximiis prædicationibus, atque Scriptis in vniuersa totius anni Euangelia & Epistolas illustrauit, tandem Brugis in naui Ecclesiæ anno 1547. sepelitur. Vide plura in Catalogo Scriptorum Flandriæ.

IOANNES MEMMELINCK Pictor clari nominis, recensetur à Carolo Vermanderio in suo de Pictoribus Belgis tractatu. Floruit ante tempora Petri Poerburck, eius opus aliquod memorabile exstitit Brugis in ædicula sancti Ioannis.

IOANNES IACOBS Presbyter, Ecclesiæ Cathedralis Brugensis Canonicus, edidit Antuerpiæ apud Ioannem Knobbarum 1622. Latinè Compendium ceremoniarum, quibus hodiè in diuinis officiis Romana Ecclesia vtitur. Liber Dionysio Christophori, Reuerendissimo Brugensium Episcopo inscriptus est.

IOANNES OTTO Brugensis, primùm Gandaui iuuentutem vtraque instituit Lingua, hinc Duysburgi in Cliuia post Georgium Cassandrum vixit & docuit. Scripsit *Introductionem in historiam Romanam*, Brugis apud Goltzium anno 1565. *cum Breuiario Sexti Rufi Festi excusam. Apophthegmata & præcepta VII. Sapientum*, quique iis connumerantur, edidit

Græco-

Græco-Latina, Antuerp. typis Plantini in 8. dedit & *Vrbis Gandæ ὑποτύπωσιν*, siue topographiam ac chorographiam eiusdem, item *Luberti Hautschilii Abbatis S. Bartholomæi Eechoutani vaticinium* toti Flandriæ fatale, anno 1558. inchoatum primus in lucem reuocauit. Vertit idem Latinè è *Plutarcho tria Opuscula*, Gandaui edita, anno 1555. & 1556. *De puerorum institutione* cum Scholiis, *de complurium amicitia*, *de esu carnium* Commentarios duos in quarto. Exstat & eius *Breuis descriptio* eorum quæ à Senatu Populoque Gandensi, Philippo Caroli Cæsaris filio ac hæredi Gandaui exhibita fuêre.

IOANNES STRATANVS Brugensis Pictor elegans. eius mentionem facit in vita Michaëlis Angeli Bonaroti Pictoris omnium famosissimi Georgius Vasarus Aretinus in suo de Pictoribus, Sculptoribus, & Architectis celebribus volumine. Vide Carolum Vermanderium qui eum Florentiæ in Hetruria celebrem vixisse asserit.

IOANNES VASAEVS in patria pænè puer nondum exacto decimooctauo ætatis anno, ab amicis & propinquis docendæ iuuentuti destinatus, tanti laboris impatiens Louanium profectus est Hebraicis litteris operam daturus: nam eo prætextu missionem impetrarat; dum verò Iurisprudentiæ totus vacat, Nicolai Clenardi hortatu ac Ferdinandi Colonis auspiciis in Hispaniam concessit, & Methymnæ in Isabellæ Augustæ aula atque Hispali in Bibliotheca Colonica triennio consumpto, Salmanticæ ad intermissa Legum studia reuersus est, inuitatus à Francisco de Valle Prætore Antuerpiano, vt filij studia dirigeret, moresque formaret. quo ante diem vita functo publicæ professionis Cathedram Gymnasij Rhetor

 ascen-

ascendit. hinc in Lusitaniam ab Henrico Card. Ioannis Regis fratre misso Salmanticam, auctore Clenardo, vocatus primùm Bracaræ, dein Eboræ iuuentutem Lusitanicam annos ipsos 12. erudiit. Demum Salmanticensis Academiæ Senatus decreto in Hispaniam accersitus, diem ibidem clausit extremum, relictis vxore ac liberis. Hæc ferè de vitæ suæ cursu recitat Vasæus ipse, in Chronici sui Procemiis. Scripsit *Chronicon Hispaniæ*, Coloniæ anno 1577. Collegitque *Rerum atque verborum indicem ex Chiliadibus Erasmi Roterodami*.

Ioannes Wasianvs Pastor D. Walburgis Brugensis, vir in fide constans. in schismate inter Vrbanistas & Clementinos in concionibus ad populum constanter adfirmabat, Clementinos omnes excommunicatos & maledictos esse. Hunc si Philippus Audax Princeps comprehendere potuisset, haud dubiè necasset, cùm summus Antipapæ fautor esset, sed clàm fugit Gandauum, & inde Leodium, spreto, quod Brugis habebat, Sacerdotio. Meyerus lib. xiiii. Annalium in Margareta Maleana; sunt qui asserunt eum *de Schismate & Schismaticis* scripsisse quædam.

Ivdocvs Damhovderivs: natus est anno Domini 1507. 7. Kalend. Decembris Brugis, vir à se & à moribus clarissimus I. V. Doctor & Eques, primò Brugensi Reip. posteà per annos triginta Cæsari Carolo V. & Philippo Secundo Regi Catholico in Belgio à Consiliis fuit: res fisci cum fide administrauit: littoris Flandrici Præfecturam cum laude gessit, iustitiæ cultor, scelerum vindex. Iuuenis Louanij 1527. Nicolaum Heems de Capella siue Bruxella & Ioannem Hasium, Aureliis Aurelium Robertum aliosque docentes diligenter audiuerat, quos cum honore passim nominat. Librorum

rum suorum Catalogum ipse contexuit appendice ad Praxin criminalem hoc ordine: *Patrocinium pupillorum minorum & prodigorum*, Brugis 1544. & alibi, Gallicè Bellerus Antuerpiæ excudit 1567. *Subhastationum exegesin compendiosam* cum patrocinio ferè editam Gallicè Gandaui 1564. *Enchiridion rerum criminalium*, Antuerpiæ, Lugduni, & alibi, Gallicè Louanij 1554. Flandricè ibidem 1555. & Germanicè Francofurti 1565. *Praxin rerum ciuilium*, quibus accesserunt demum *Nicolai Tuldeni notæ practicæ*, Antuerpiæ 1617. *Similia & paria Iuris vtriusque*, Antuerpiæ 1601. *cum Notis Tuldeni*, *Paræneses Christianas*, Antuerpiæ 1571. *De magnificentia politiæ ciuitatis Brugarum. Orationem panegyricam in laudem Hispanorum negotiatorum*, Louanij 1558. *Speculum conscientiæ*, Latinè, Gallicè, Flandricè adhuc ineditum. Obiit Antuerpiæ anno 1581. Sepultus Brugis in Diuæ Virginis. Filium habuit Ludouicum in Concilio Flandriæ Senatorem.

LAMBERTVS Morinorum Episcopus, patriâ Brugensis, Cancellarius anteà Rhemensis. Obiit anno 1207. 12. Kal: Iunias; memoratur à Iacobo Meyero lib. 8. Annalium Flandriæ circa principium. An quidpiam conscripserit, & ad posteros transmiserit, ignorare se fatetur Dionysius Harduinus.

LANCILOTVS Pictor Brugensis præstantissimus, à Ludouico Guicciardino memoratur in sua Belgij descriptione, à Georgio item Vasari Aretino, in suo de claris Pictoribus, Sculptoribus & Architectis volumine. vide & Caroli Vermanderij vitas Teutonico Idiomate de eodem argumento scriptas. Fuit Lancilotus socer Petri Poerbusch, cuius eximia quædam tabula visitur in Æde Franciscanorum Brugensium in sacello Genuensiũ, in qua nomẽ IESV adoratur.

LEONAR-

LEONARDVS CASENBROTIVS Brugensis, patriæ suæ quondam Consul seu Burgimagister, Iuris & omnium artium doctrinâ ornatissimus. Scripsit *Carmina, Epistolas & Orationes*, Erasmo Roterodamo perquàm familiaris, ad quem illius multæ exstant Epistolæ, & huius ad Erasmum.

LVBERTVS HAVTSCILTVS Abbas S. Bartholomæi in Eechoute Brugis, quæ Abbatia est Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini; in Concilio Constantiensi fuit, & à Patribus illic ob virtutem & eruditionem mitram accepit. Eius quædam in membranis exstant; fatale verò Flandris eius vaticinium Ioannes Otto euulgauit. Illius initium est, Gibid væ tibi, nam de te facis ipsa ruinam. Egregius fuit Mathematicus, vti asserit Dionysius Harduinus in suo de Scriptoribus Flandriæ claris msc. tractatu. Fuit & Lubertus Illustrissimorum Principum Biturigum Burgundiæ, Flandriæ Consiliarius, & nobili loco natus, floruitque circa annum Domini 1450.

LVCAS WYNGAERDVS Brugensis nobili loco natus, vir Græcè ac Latinè doctissimus. Scripsit Versus varios vtraque lingua. legitur inter alia ipsius *Carmen elegans* in nuptias illustris viri Balthasaris de Cuniga Herois Hispani, cum nobilissima virgine Odilia de Claerhout filia Toparchi Maldeghemiensis, impressum Antverpiæ apud Ioannem Moretum ex officina Plantiniana.

LVCAS FRVTERIVS Brugensis, nam

Bruga nobili
Beauit ortu, Ganda facilem vna ingenij
Dedit artibus madere liberalibus.

Loua-

Louanium & Lutetiæ vſque in vltimæ
Antiquitatis intima penetralia
Subire:

Summi ingenij & maturi Iudicij Criticus fuit, inter prima Belgij noſtri futurus ingenia, ſi vixiſſet. Teſtes ſunt *Veriſimilium libri duo*, opus Criticum, *Verſus Miſcelli* à morte typis Plantinianis editi: quæque in *Lucretium adfecta* habuit: quibus non parum adiuti, qui poſt Lambinum auctorem illum, conſectaneis illuſtrarunt: vt ad Triumviros amoris notauit Ianus Douza cum inſigni Fruterij elogio. Teſtis Epiſtola benè longa ad M. Antonium Muretum qua Feſti Pompei loca mutila & lacera reſtituuntur, Mureti Epiſtolis inſerta, adde *Iulij Seueriani Symptomata* Rhetorices ab eodem eruta & edita. Plura in lampade ſeu face critica Ianus Gruterus edidit. Obiit Pariſiis magnæ ſpes maxima Brugæ nondum quintum & vigeſimum natus annum.

I. LVDOVICVS VIVES origine Valentinus, at diuturnâ habitatione Brugenſis, vir fuit primis maximiſque æui precedentis hominibus comparandus. breuiter ſcripta eius recenſebo. Scripſit itaque *De ratione ſtudij puerilis Epiſtolas duas, Introductionem ad veram ſapientiam, Satellitium animi*, ſiue ſymbola ad omnem totius vitæ maximè principum inſtitutionem mirè conducentia, Baſileæ 1537. *De conſcribendis epiſtolis libellum*, ibidem 1536. *Latinæ Linguæ exercitationem*, ibidem 1538. *In Bucolica Virgilij interpretationem*, 1539. *De ſomno & vigilia librum*, Baſileæ 1521. *Rhetoricæ libros tres*, item de *Conſultatione librum vnum*, Baſileæ anno 1557. *De corruptis artibus ac tradendis diſciplinis, lib.* 20. Antuerp. 1531. *Librum contra Pſeudodialecticos*, Seleſtadij. *De virtute fucata, librum vnum, De anima & vita, libros tres, Declamationes ſex de*

præsenti statu Europæ & bello Turcico, diuersa opuscula Basileæ anno 1528. *De concordia & discordia humani generis, lib.* 4. *De pacificatione, lib.* 1. *De Christianorum vita miserrima sub Turca, lib.* 1. Lugduni 1532. *De subuentione pauperum, lib.* 2 ibidem. *Sacrum diurnum de sudore Christi, Meditationem de Passione Christi in Psalmum* 37. *De institutione fœminæ Christianæ, libros tres, De officio mariti, librum. Excitationes animi in Deum, Præparationem animi ad orandum, Commentaria in Orationem Dominicam, De veritate fidei Christianæ, lib.* 5. *Commentaria in libros de Ciuitate Dei, Argumenta in plerosque libros Philosophiæ Aristotelis.* Transtulit *Isocratis duas Areopagiticam & Nicoclem*, Basileæ anno 1538. *Visum linguæ Latinæ, De communione rerum, De sudore, Progymnasmata, Descriptionem temporum ac rerum Romanarum, sub Ioannis Watseny nomine*, Louanij 1534. *Libellum de charitate Dei ac proximi, De prosperis & aduersis, Epistolam de Francisco Rege capto*, item, *De pace inter Cæsarem & Galliæ Regem, Deque optimo regni statu, De tempore quo natus est Christus, Clypeum Christi, Triumphum Christi, Orationem Deiparæ, Veritatem fucatam, Animam senis, Initia sectarum, Fabulam de homine, Præfationem in Georgica Virgily, in Ciceronem de legibus, Genethliacon Christi, Pompeium fugientem.* Claruit anno 1540.

MARCVS LAVRINVS Brugensis Waterflieti Dominus, Guidonis frater, historiarum & antiquitatis omnis velut promus & condus. Huberto Goltzio Antuerpiâ accersito, eodemque in Italiam, Germaniam ac Galliam missô ad antiquitatis omne genus conquirendum, reducis Goltzij operâ *Fastos Consulares e fastis Capitolinis ac nummis*, mira quadam elegantia à se concinnatos atque digestos publicauit, vt Goltzius ipse in C. Iulio Cæsare ad Laurinum præfatur. Cætera quoque *Numismata omnia pari ordine, atque congrui-*

congruitate diſpoſuit in Caio Iulio Cæſare, Hiſtoria Auguſta, Magna Græcia à Goltzio vulgatis. Cœperat perducto ad vmbilicum Auguſto reliquos deinceps ad Domitianum Cæſares ſimili venere & elegantia expolire, ſed bellis ciuilibus vndique in Belgio exorientibus, ſpoliato in itinere Oſtendano, maxima Theſauri antiquarij parte Laurino, & typis Goltzianis à ſeruo fure ablatis, pulcherrimi illi conatus planè conciderunt, magno rei litterariæ damno. De Marco & Guidone Laurinis nobiliſſimis fratribus ita Iuſtus Lipſius libro ſecundo Epiſtolicarum quæſtionum, epiſtola primâ: *Fateri debemus, Brugæ veſtræ Belgij noſtri ſidus ſunt pariter, vt olim Græciæ oculus Athenæ; nuſquam à multis annis ingeniorum fœlicior prouentus, nuſquam doctrinæ vberior ſeges, in qua eruditorum luce vos Laurini fratres ſic eminetis, vt puro nocturno renidet luna mari, Guidiuſque Gyges.*

Marcvs Gerardvs Pictor famoſus & Mathematicus ciuitatis Brugenſis, cuius multa in vtraque arte ſunt opera. *Dimenſus dicitur* 1563. *Brugenſis vrbis magnitudinem*, quæ ſit decem millium quadringentorum ſeptuaginta duorum paſſuum communium in circuitu, quorum ſinguli paſſus contineant pedes duos cum dimidio, & duo communes contineant quinque pedes qui conſtituunt vnum paſſum Geometricum, ſinguli verò pedes vndecim latos pollices.

Martinvs Everartivs Brugenſis, Mathematicus & Medicus. Scripſit *Varias Ephemerides Meteorologicas ad longitudinem* 27. *latitudinem* 51. *graduum, anni* 1583. præterea eaſdem produxit ad annum 1615. apud Commelinum impreſſas Heydelbergæ anno 1600.

MARTINVS HAVWELIVS Eeclonianus Dionysij Harduini amitinus veteri & prænobili stirpe prognatus, Auescotij, Warmesij, & Bardelariæ Toparchus, Ioannis filius, Christiani nepos, Hebraicè, Græcè, Latinè non vulgariter doctus, poeticesque studio delectatus. Scripsit Versus eruditos ad Ianum Douzanum, Carolum Vtenhouium, Lucam Fruterium, & alios Poetas suæ ætatis, quorum nonnulli inter Douzæ poëmata leguntur. Elegans item *Carmen in librum Ioannis Carcij Theologi* eruditissimi, de Sanctorum inuocatione. Moritur Veriæ in Valachria, Insularum Zelandicarum præcipua, intimus Auraico Principi, ad quem (vt ait Harduinus) nescio quo œstro percitus transfugit.

MATTHIAS LAMBRECHTVS è Pago S. Laurentij, qui pars est territorij Maldeghemiensis, oriundus, S. Theol. Licentiatus, Pœnitentiarius, pòst Archidiaconus, demum defuncto Remigio Driutio Tertius Brugensis Ecclesiæ fuit consecratus Episcopus, anno 1596. Emisit in lucem volumen Teutonicâ Linguâ in folio, *De vita, morte, & passione Sanctorum*, cum longa & luculenta præfatione ad Senatum Populumque Brugensem. Adiuncta est eidem libro *Historia Ecclesiastica*, etiam Teutonico idiomate, à Christo nato ad sua vsque tempora, firmitatem & perpetuitatem doctrinæ Catholicæ in Romana Ecclesia per successiones sæculorum egregiè demonstrans. Functionem Episcopalem cum summa laude gessit, ac de Repub. Christiana vir optimè meritus est.

MATTHIAS PAVLI Hasseleti (quod est territorij Leodiensis oppidum) natus, Ordinis Eremitarum D. Augustini, Brugis Flandrorum per duodecim annos Prior fuit: & magno applausu vtriusque Magistratus & totius ciuitatis

Brugen-

Brugensis congratulatione anno 1622. aperuit in sui Ordinis Conuentu Scholas humaniorum litterarum sub honorando Patre Georgio Maigretio S. Theologiæ Doctore Louaniensi, & eiusdem Ordinis per inferiorem Germaniam Priore Prouinciali. Scripsit opuscula quædam sermone patrio siue Brabantino, quorum hi potissimùm tituli: *Fasciculus deuotionis*, continet hoc Opusculum Officium paruum nominis IESV & S. Annæ. Meditationes & Orationes in vitam Christi, & Soliloquium deuotissimum animæ cum Deo in omnibus actionibus tam corporalibus quàm spiritualibus, Gandaui apud Cornelium Marium anno 1615. *Cingulum militiæ*, siue *Speculum iustitiæ Christianæ*, Tom. II. in quibus tractat de Institutione Confraternitatum Quatuor Ordinum Mendicantium, De vita S. Nicolai Tolentinatis, De Processionibus siue Itineribus Saluatoris nostri, quæ fecit è cælo in hunc mundum, & è mundo rursus in cælum, De virtutibus & vitiis, De modo assistendi & adiuuandi agonizantes, Gandaui apud Marium, anno 1619. *Historiæ Venerabilis Sacramenti miraculosi, Herckenrodiani, Bruxellensis, Louaniensis, & Gandensis apud Augustinianos.* In quas quidē historias pulcherrima conscribit documenta, quibus inserit omnia ferè miracula, quæ in confirmationem fidei Venerab. Sacramenti Eucharistiæ contigêre per totum orbem terrarum, Antuerpiæ apud Wolschatium 1620. *Arbor vitæ proferens fructus duodecim*, siue *Considerationes Eucharisticæ, per quas Christus consideratur in sacra Communione sub duodecim diuersis titulis seu officiis*. habet in eodem opere dilucidam explicationem omnium ceremoniarum Missæ iuxta vsum Missalis Romani recogniti authoritate Clemētis VIII. Gandaui apud Marium. *Officium paruum in honorem S. Ioseph sponsi B. Mariæ Virginis*, Latinè & Flandricè, quod & in linguam Gallicam transtulit (adiunctis plurimis ex eiusdem authoris

 libris.

libris desumptis orationibus) nobilis D. Philippus de Vliesberghe. In quo quidem officio distinxit author per Psalmos mellifluum illud Psalterium D. Augustini, quod tom 9. composuit matri suæ Monicæ. extat Latinè Antuerpiæ apud Wolfschatium 1619. Flandricè Gandaui apud Marium 1621. Gallicè Duaci apud Ioannem Bogaert anno 1621. *Speculum perfectionis ad instantiam nobilissimæ D. mi... mundo maledicentis*, Antuerpiæ apud Wolfschatium anno 1621. & 1622. *Threni*, siue *Lamentationes Christi super ingratitudine Iudæorum & peruersorum Christianorum*, Tom. II. Aperit in eo opere multa eaque præclara mysteria & beneficia nostræ creationis ac Redemptionis, decorauitque triplici Indice, vnde Concionatores abundantem materiam haurire valent pro concionibus formandis, & deuoti pro Meditationibus instituendis, Louanij apud Hastenium anno 1623. & 1624.

MICHAEL BLOMMARDVS Ordinis B. Mariæ Virginis de monte Carmelo, Philosophus acutus & Theologus. Scripsit librum *De futuris contingentibus*, & *Sermones per annum*. Memoratur ab Arnoldo Bossio Carmelita, libro de Viris illustribus sui Ordinis.

NICOLAVS BVCERVS Brugensis, teste Dionysio Harduino, etiam quædam scripsit, sed legi prohibita. de eo nihil ampliùs inuenio, nisi quòd hæreticum Caluinistam fuisse arbitrer.

NICOLAVS DRVMÆVS Brugensis. huius, teste eodem Dionysio Harduino, *Græca & Latina Carmina* doctè scripta in lucem edita sunt.

NICOLAVS ROMAEVS Brugensis, Societatis IESV Theologus

logus in confutandis sectariorum dogmatibus ferè versatur, præsertim natis aut renatis è Caluini cerebro. Pulchre sanè, vt non Caluinum ipse auctor, quàm se Caluinus refutet proposita *Ioannis Caluini Nouiodunensis noua effigie* centum coloribus ad viuum expressa siue Caluino ἑαυτὸν ζωγραφημένῳ, qua Caluinus mendax, blasphemus, Tortor, Sycophanta, aliisque coloribus alius exprimitur, cum *digressione de prædestinatione ac iustificatione*, Antuerpiæ typis Hieronymi Verdussij 1622. in fol.

NICOLAVS SCHOONHOVIVS apud Diuum Donatianum Brugis Canonico Sacerdotio insignitus, ac vir litteraturâ insignis fuit: *Orationes* etiam *quasdam* luculentas & eruditas, vt ait Dionysius Harduinus in suo de Scriptoribus Flandriæ Catalogo, habuit; Bibliothecam etiam possedit præter cæteras Brugis præstantem. vixit anno 1550.

NICOLAVS SVSIVS Societatis IESV Sacerdos, vir in sæcularibus præsertim litteris egregiè versatus, quæ edidit, hæc sunt: *Lima Ciceroniana*, siue *de stilo liber singularis*, *de Pulchritudine B. Mariæ Virginis disceptatio quodlibetica*, *Poëmata*, *Elegiæ Marianæ*, *Lusus Anacreontei*, *Drama Comicum*. Pluribus in locis cum insigni laude, fructuque audientium Rhetoricam docuit, & Theatra eruditis declamationibus exornauit.

NICOLAVS MASIVS Minoritæ Ordinis, Doctor sacræ Theologiæ, Episcopus Sareptanus ac Suffraganeus Tornacensis. Cuius corpus in Choro in parte meridionali requiescit. Anno 1438. vndecimâ Iulij viam vniuersæ carnis ingressus est.

NICOLAVS DESPARSIVS, Vir Consularis, scripsit Diaria rerum Flandricarum, vti in Flandriæ descriptione testatur Marchantius.

ODOVARDVS WESTONVS, Anglus, S. Theolog. Doctor, & Brugis in æde Collegiata B. Mariæ Virginis Canonicus, vir raræ eruditionis ac virtutis. Scripsit *Theatrum vitæ ciuilis ac sacræ*, siue de vtriusque principiis dogmaticis, libros quinque ad Carolum Walliæ Principem. Edidit quoque anno 1613. Iuris Pontificij Sanctuarium in Rogerium Widdringtonum.

OLIVERIVS VREEDIVS I. C. politissimi vir ingenij, ac Græcè Latineque doctissimus, varios hactenus edidit, vt amicis potissimùm gratularetur, magno stili nitore ac elegantiâ Versus: viuit etiamnum, plura mox, vti speramus, eruditionis suæ monumenta Reip. litterariæ collaturus.

OPITIVS ADORNIVS Patricius Brugensis, Eques & eiusdem Reip. aliquoties Consul, rerum ciuilium cognitione, aliaque politiore litteratura egregiè imbutus fuit. Scripsit *Versus varios*, teste Dionysio Harduino in suo de viris in Flandria eruditione illustribus msc. Catalogo, quorum pars aliqua typis euulgata legitur. Claruit & familiaritate ac amicitiâ Iusti Lipsij, illique Ianus Lernutius Epicedia sua seu funus Lipsianum ob virtutis & eruditionis præstantiam dedicauit.

PARSEVALDVS BELLIGHEMIVS Brugensis cæcus natus, Lutetiæ Parisiorum insigni nominis famâ floruit circa annum 1530. & iuuentutem Bogardicam in Collegio Geruasiaco instituit, inquè suæ solatium calamitatis scripsit *Scholia*

in Quin-

in Quintiliani vulgò creditam pro cæco contra nouercam declamationem, typiſque excudi curauit. pro ſymbolo illud Pſalmiſtę vſurpabat: *Dominus illuminauit cæcos.*

PASCHASIVS IVSTVS Ecclonianus, artium & Medicinæ Doctor. Scripſit *De alea ſeu de ludendi in pecuniam curanda cupiditate, libros duos*, elegante ſtylo. Priore libro medicâ planâque methodo omnis grauiſſimæ & ignotæ vſque ad hoc tempus adfectionis natura, cauſſæ & effectus, tanquam immanis & ſæui alicuius morbi explicantur; altero, quâ potiſſimùm curatione adhibitâ inſatiabilis flagitioſaque cupiditas euelli ex grauiter ægrotantium animis poſſit, explanatur, tum ſi contumax erit quâ ratione edomari & comprimi poſſit edocetur. Auctor dedicauit librum perilluſtri viro Maxæmiliano à Burgundia, Wackens & Capellæ Domino, Belgicæ Claſſis ac maris Præfecto. Prodiit Baſileæ anno 1561. apud Oporinum, & Francofurti, anno 1616.

PETRVS BVRRVS Brugenſis, Canonicus Ambianenſis, vti teſtatur auctor ille qui additionem ſcripſit ad opus Ioannis Trithemij Abbatis Spanheymenſis de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vir diuinis & humanis litteris clarus. Sub Carolo VIII. Francorum Rege Pariſiis floruit, vbi inquit ille tantâ bonarum diſciplinarum, virtutum, pietatis & religionis celebritate adoleuit, vt plerique, & potiſſimè Gandincurtorum familia hoc vno ſolo pro ſuis liberis inſtituendis aliiſque permultis nobilioribus adoleſcentulis vti voluerit præceptore; nec planè mirandum, vtpotè qui vnus inter paucos ſua ætate eloquentiam, Poeſin, cæteraſque artes bonas cum ſapientia iungere doceret, nec artes ſine moribus, mores verò ſine litteris prodeſſe.

Quod quidem eius opera indicant, in quibus, quid potissimum admireris nescias sententiarúmne grauissimarum ac sanctissimarum pondera, an stili poëmatisque varietatem, an rerum verborumque decorem, an lepidum vocularum contextum, an Carminis subinde fluorem ac concentum, denique an sexcenta alia ornamenta, &c. Scripsit *Odarum libros quatuor, Hexametrorum librum vnum, Apologorum librum vnum, Elegiarum libros duos, Epigram. librum vnum, Moralium canticorum de duobus festis, de Aduentu Domini, de Vigilia Domini, de Natiuitate & Circumcisione Domini, de Epiphania, de Ieiunio, de ingressu in Hierusalem, de Confessione & Eucharistia, de Cœna Domini, de Laude Crucis, de Passione & Resurrectione Domini, de Communione Paschali, de Inuentione Crucis, de Ascensione Domini, de Pentecoste, de Trinitate, de Corpore Domini, de Exaltatione Crucis, de Facie Dominica, Hymnos de omnibus Sanctis, de Festo B. Mariæ, Epistolas & Orationes multas, Pæanas quinque festorum B. Mariæ Virginis, & alios quosdam Hymnos,* Burri commentatus est Badius. Obiit Burrus Ambiani anno Domini 1507.

Petrvs Colvivs Brugensis, magni ingenij iuuenis & doctrinæ elegantis, maximus futurus, nî inuida mors lethifero ictu surgentem segetem in herba succidisset. Dedit *eruditas notas in Apuleium Madaurensem* cum msc. collatum typis Raphelengij: reliquit notas nondum adiectas in Sidonium Apollinarem, quas à morte Coluij Ioannes à Woueren euulgauit, qui de amici morte in hęc verba philosophatur: Quisquis vnquam exstitit diuino quondam instinctu excellior, qui præmunitus robore animi victor & triumphator voluptatum dignâ virtutis indole adjectauit, malignâ fati lege repentè vt ostensus, interreptus fuit mox: nuperrimè Petrus Coluius emerserat, in quo non exiles ingenij virtutes

collegi,

collegi, quas magis probasset si per inuidiam fati maturuissent, nunc flos iuuenum ostentatus raptusque simul, Solstitialis velut herba solet, vix enim annum 27. attigerat dum fatale (equi calcitrantis Lutetiæ in plateis) hoc ferrum non tantum acerbo, sed tristi ictu feriit surgentem eius Indolem inter ipsa virtutum incrementa. Hæc ille scripsit & *Carmina quædam*, quæ excusa sunt, teste Dionysio Harduino in suo eodem illo eruditorum Flandriæ Catalogo.

PETRVS CVRTIVS Brugensis, S. Theologiæ Doctor, & in Academia Louaniensi Professor, Pastor ibidem Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri fuit (cui in ea pastorali dignitate successit Cunerus Petri à Brauwershauen, qui primus Leonardiæ in Frisia Episcopus fuit) primus renuntiatus est Brugensis Ecclesiæ Episcopus, ac successorem habuit Remigium Druitium. *Homilias quasdam* scripsisse fertur, teste Dionysio Harduino in suo Eruditorum Flandriæ virorum msc. Catalogo.

PETRVS DE WITTE Brugensis, cum parentibus Florentiæ in Hetruria habitauit, vbi asserit Carolus Vermanderius, multa Romæ in Palatio Pontificis ac Florentiæ in Cupula elaborauit pro Duce Florentino, varia quoque Prototypa peristromatum ac alia. habitauit & Monachij in Bauaria. Illius etiam Icones aliquot sculptæ prodierunt titulo Petri Candidi. Fratrem habuit Cornelium etiam fœlicem, præsertim in depingendis Campestrium locorum figuris pictorem, etsi serò studiis eius artis deditum.

PETRVS GERARDVS Brugensis, vixit Venetiis anno Domini 1572. quo in fœdus victoriamque contra Turcas iuxta sinum Corinthiacum, anno 1571. Nonis Octob. partam,

Poëmata varia congessit ac digessit ibidem 8. Vide Valerium Andream in suo de Scriptoribus Belgis tractatu.

PETRVS POERBVSCH Pictor celebris, origine Hollandus, ac Goudæ quæ eius Prouinciæ ciuitas est, natus. Ab ineunte ętate Brugas inhabitauit, & filiam duxit Lanciloti, famosi item Pictoris. Multis laudibus effertur à Carolo Vermanderio in tractatu de claris Belgij Pictoribus. varia & elegantia Brugis & alibi eius exstitêre, & etiam exstant Opera. Fuit & Cosmographus idem ac Geometra eruditus: is perpulchrè delineauit Territorium Franconatium.

PETRVS PONTANVS Brugensis, Cœcus ab oculorum vitio dictus, Lutetiæ Parisiorum claruit, & in media sui sæculi Barbarie clarum nomen fecit. Scripsit *Artem Grammaticam, Scholia in Lucani Pharsaliam, Carmen de obitu ac reditu pacis, Apologiam in eos, qui diuini sacrificij vocabulis ac sensis abutuntur, Eruditionem veræ ac salutiferæ Confeßionis prosa ac carmine ad Felicem filium.*

PETRVS VERHEYL Brugensis, Iurisconsultus & Poëta, *Varia & elegantia* scripsit *Epigrammata & Epistolas*, quas vidisse se testatur Dionysius Harduinus in suo de Scriptoribus Flandris msc. Catalogo.

PETRVS GVLIELMVS Minorita professione, & natione Brugensis, omnium Prædicatorum suo tempore Coriphæus, Nestoreâ eloquentiâ, prudentiâ, experientiâ ac iudicio admirabili fulgens, pluries huius Conuentus Guardianus fuit, atque secundò Prouinciam Flandriæ Minister Prouincialis administrauit. Tandem primus totius Or-

dinis Diffinitor ac Commiſſarius generalis Franciæ, Britanniæ, Flandriæ & S. Andreæ effectus, ad ſuperos vocatus anno 1604. magnum ſui omnibus deſiderium relinquens.

Philippvs de Maldeghem veteri patritiâ, vt ait Harduinus, apud Brugas familiâ natus dominuſq; veteris in ſua gente Toparchiæ Leyſchoti. tranſtulit *ex Italico in Gallicum Carmen omnia opera poëtica Franciſci Petrarchæ*, idq; opus ſuum dedicauit Sereniſſimo Principi Maxæmiliano Comiti Palatino Rheni, vtriuſque Bauariæ Duci. Impreſſit Bruxellæ Rutgerus Velpius 1600. Hic generoſus vir natus eſt eâ gente, quæ viros multos produxit celebres non eruditione tantùm, ſed & artibus militiæ. Supereſt ſanè etiamnum fama Salomonis Maldeghemienſis, qui anno 1089. profectus in Palæſtinam cum Roberto Comite Flandriæ interfuit bello Hieroſolymitano, & Philippi à Maldeghem, qui de Ferdinando marito Margaretæ Conſtantinopolitanæ Comitis Flandriæ, deque Republica noſtra optimè meritus eſt. Qui quidem cum fratre Petro ſtrenuè ſe geſſit contra Gallos in prœlio Bouinenſi anno 1213. memoratur & alius Philippus à Maldeghem, qui circa annum 1308. Roberto Bethunienſi Flandriæ Comiti à virtute fuerit amicus, item Leonellus Maldeghemienſis, qui poſt multa egregia bello edita facinora cum fratre ſuo occubuit pugnâ Aznicurianâ, anno 1415. infeliciter pro Francis contra Anglos pugnans, & Theodoricus à Maldeghem, quem memorat Meyerus 1429. in fano Dionyſij captum à Gallis, vbi plures alij Nobiles Flandri capti & interfecti ſunt, quorum nomina nimis corrupit Enguerianus.

Remigivs Drivtivs I.C. & in ſupremo Mechlinienſi Con-

cilio Senator, dein Secundus Brugensis Ecclesię Episcopus, vir Deo Regique fidus, & multa pro Religione Catholica passus, obiit anno 1594. Successit in Episcopali dignitate Matthias Lambrechtus, post quem in eadem Cathedra, Carolus Philippus de Rodoan Gandaui natus, qui successorem habuit Antonium Triestium, qui pòst ad Gandauenses Insulas veniens, locum fecit moderno eius vrbis Episcopo Domino Dionysio Christophori, viro magnis animi dotibus prædito.

RICHARDVS DE CAPELLA, Iurisconsultus eximius, teste Harduino, Dominus temporalis Capellæ. Idem præpositus Ecclesiæ B. Mariæ Virginis Brugis. fertur scripsisse *Tractatum de rescriptis*, mortuus est anno 1447. sepultus in Choro suæ Ecclesiæ. Hic impetrauit à Nicolao Quinto Papa sibi suisque successoribus Præpositis collationes omnium sacellorum suæ Ecclesiæ, cum certis tamen conditionibus quibus debeant conferri. auctor Meyerus in Philippo Bono Burgundione.

ROBERTVS Monachus Patriâ & gente Brugensis, vir doctus; de quo ita Meyerus libro quinto Annalium in vita Theodorici Elsatij: Anno, inquit, 1138. Diuus Bernardus Abbas Claræuallis in Flandrias venit prædicatum, vbi sanctis concionibus ac salutaribus exemplis multos ad piam beatamque perduxit vitam, apud Furnenses cùm verbo Dei insisteret, Dunensibus cœnobitis Cistercienſium tradidit institutum, ac Robertum Monachum suum, ad quem etiam nunc eius exstant Epistolæ, patriâ genteque Brugensem, Abbatem inibi fecit, qui tam celebri famâ floruit Sanctitatis, vt ab ipso Bernardo iam animam agente electus sit Abbas Claræuallis.

RODOL-

RODOLPHVS Brugensis, *Claudij Ptolomæi Planisphærium* transtulit è Græco in Latinum sermonem præfatione ad Theodoricum Platonicum Præceptorem suum scripta Tholosæ, anno Domini 1144. Impressit Basileæ cum Arati Phænomenis Commentario Græco explicatis 1536. Walderus, teste Dionysio Harduino, & Valerio Andrea in sua scriptorum Belgicorum Bibliotheca.

ROGERIVS Brugensis Pictor, vt idem Harduinus ait, excellentissimus, ac discipulus Ioannis Eyck, à Georgio Vasaro celebratur in eo quod iam sępè memoratum est de claris Pictoribus volumine, item à Vermanderio.

ROGERIVS IVVENIS Ordinis Eremitarum sancti Augustini S. Theologiæ Doctor, cum Louaniensibus Doctoribus, anno 1551. ad Tridentinam Synodum missus, magnâ animi submissione recusauit esse suffraganeus Tornacensis, cùm id ei à Philippo Secundo Hispaniarum & Angliæ Rege Catholico atque à Maria eius coniuge offerretur. ita ex monumentis eiusdem Monasterij Brugensis refertur.

SYLVESTER PARDO, Brugis stirpe nobili ex Hispaniis oriunda natus, Ecclesiæ Antuerpiensis Canonicus, ac per multos annos librorum Censor fuit, vir prudentiâ ac eruditione clarus.

SIMON BENICHIVS Brugensis Miniator, vt ait Harduinus, & Pictor inclytus. memoratur à Vasaro Aretino, in suo de Pictoribus libro. Filiam habuit Leuinam æquè in vtraque arte præstantem, quam nuptui collocauit nobili cuidam viro Anglo, quæ in pretio habita fuit virtutis

artiſque nomine apud Angliæ Reginas Mariam & Eliſabetham.

SIMON STEVINVS ſiue Stephanus, Brugenſis, in Batauia vixit, Aggerum maritimorum, machinarumque, quibus terra à mari defenditur, præfectus, vir ſupra captum vulgarem in Matheſi verſatus Adriani Romani iudicio. Scripſit *Arithmeticam ſeu artem ſupputandi*, opus abſolutum, qui inter alia Arithmeticæ vulgaris itemque figuratæ ſeu Coſſicæ regulas praximque proponit, typis Plantini 1585. *Problematum Geometricorum libros quinque*; ſimili ordine ac methodo, *Hypomnemata Mathematica*, Amſtelodami apud Lomelium Nicolaum 1608. *De portuum inueſtigandorum ratione*, quam ſtaticen vocant, Matheſeos partem vt nobiliſſimam ita abſtruſiſſimam, à Steuino de nouo velut exſtructionem: cui operi quid ſtatui poſſit par non video, inquit Romanus adeò rei ponderariæ peritum fuiſſe vt nullum offerri illi poſſit pondus quantumuis graue, quod non paruis viribus ac facili inſtrumento pantocratore mouere potuiſſet.

THEODORVS STVMPWICKIVS Carthuſianus, dum in Brugenſi degeret Carthuſia ſibi *Schema quoddam* concinnauit, in quo pro maiori virtutis profectu, inſignes aliquot *Monaſticæ religionis prærogatiuas* ordine alphatico diſpoſuit, quibus ex aduerſo quàm perfidus, fallax ac vanus ſit mundus (contraria quippe iuxta ſe poſita magis eluceſcunt) quaſi ex Diametro oppoſuit, in quo ſi quis nimias monaſticæ religionis commendationes contineri exiſtimet, is mihi conſideret, quibus laudum præconiis B. Hieronymus, Bernardus, D. Thomas, Bonauentura, aliique SS. Eccleſiæ Patres hoc angelicum vitæ genus extollant, maximè verò inſpiciat Doctoris Alani de Rupe 30. prærogatiuas. Quid quod auctor ipſe

ipſe libens agnoſcat ſe hæc pro maiori parte ex ſpeculo morali Ioannis Vitalis S.R.E. doctiſſimi Cardinalis decerpſiſſe, auctore nimirum graui, quo vel ſic nouellos Chriſti Tyrones ad diuini numinis cultum ac rerum mundanarum faſtidium poſſet inducere. quod in illorum idcircò gratiam lubentes hîc adiecimus. Ita Theodorus Petreius in Bibliotheca Carthuſiana.

THOMAS RINVS Brugenſis, vti teſtatur Dionyſius Harduinus in citato iam ſępiùs ſuo de Scriptoribus Flandris volumine. Romæ *Orationem Latinam habuit ad Pium Quartum Pontificem*, quæ extare etiam dicitur.

WALTERVS MONACHVS, Patriâ Brugenſis. Scripſit *Librum de vita & morte Caroli Boni Flandriæ Comitis* ad Ioannem Morinorum Epiſcopum. Memoratur à Iacobo Meyero libro quarto Annalium in vita eiuſdem Comitis. Walterum hunc eundem cum Galberto Brugenſi exiſtimo, quem ſuperiùs dixi eiuſdem Principis vitam & mortem litteris mandaſſe.

WALTERVS ROTARIVS, vulgò Ramaker, Brugenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, S. Theol. Doctor, vti Harduinus aſſerit; quędam ſcripſiſſe dicitur aduerſus hæreticos. Item in Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolicum Flandricè. Sepultus eſt Brugis in ſui Ordinis Eccleſia anno 1590.

VICTOR GISELINVS Santfordæ natus eſt, qui pagus Oſtendæ proximus, 1543. 10. Kal. Apprileis. Primùm Brugis Flandrorum litteris humanioribus operam dedit, & Ioannem Gelrium Præceptorem habuit, vſus ibidem valdè fa-

K milia-

miliariter Arnoldo Laurentio Berchemio, ex cuius etiam schedis suas in Prudentium notationes locupletiores fecit. Posteà ad grauius studium corripiendum Louanium venit; vertente anno Parisios concessit, vbi in re medica occupato alter effluxit annus cùm concitatæ seditionis æstus è Gallia eum pepulit. Reducem itaq; Louaniū habuit, vbi paulisper substitit; denique Dolæ apud Sequanos medici Doctoris titulum cœpit; Lipsio eum publicè laudante oratione nuper à Germanis edita, cum aliis tamen quæ ipsius non sunt. Giselini verò animus ad humaniores litteras inclinabat magis, & lubenter totum se iis vouisset, nisi obstitisset res angusta domi. quantum itaque per horas successiuas, & curas grauiores licuit, lectioni veterum Scriptorum, & præcipuè Christianorum Patrum se tribuit: quorum pietate eruditâ confirmatus stetit recto talo in his religionis iactatæ turbis, nec ab Orthodoxa & Catholica fide dimoueri vllâ ratione aut suasione potuit. Bergis S. Winoci annos plures vixit & medicinam factitauit. Obiit 1591. Obitus diem & horam quâ moriendum ei esset, litteris ad amicos missis ipse prędixerat. Scripsit *Commentaria in Aurelium Prudentium, Notas & Chronologiam in Seueri Sulpitij opera, Adagiorum Epitomen* è Iunio Gentio aliisque post Erasmum. Reliquit *Carmina varia, Preces Lyturgicas, Emendationes in Ausonium*, & moriens ea Iano Lernutio legauit: è quibus Hymni aliaque Poemata nuper Duaci edita sunt à Iacobo Lernutio Iani filio. Edidit quoque Giselinus emendatiorem librum Fernelij de Lue Venerea, eundemque Domino de Noortwijck inscripsit.

CATALO-

CATALOGVS SCRIPTORVM BRVGENSIVM.

ADamus Manderius.
Adeodatus à Mariuorda.
Adolphus Metkerckus.
Adrianus Baltin.
Adrianus Chilius.
Adrianus Isebrandus.
Adrianus Lopius.
Adrianus Scrieckius Rodornius.
Adrianus Stratius.
Adrianus vander Burch.
Adrianus VVillartus.
Ægidius Barbitonsorius Minorita.
Ægidius Claissonius Pictor.
Ægidius Schondonchus Societatis Iesu.
Ægidius Gisperius Minorita.
Ægidius VVallius.
Ægidius VVijtsius.
Alexander Colonæus.
Andreas Hoius.
Andreas Ketellius.
Anselmus Boetius de Boodt.
Antonius Claua.
Antonius Delrio Societ. Iesu.
Antonius Meyerus.
Antonius Schoonhouius.
Arnoldus Bartius.
Arnoldus Gerardus.
Bartholomæus de Brugis.
Bernardus Valdaura.
Bonauentura Vulcanius.
Carolus Ferdinandus.
Carolus Goswynus Soc. Iesu.
Cornelius Henricus Mathisius.
Cornelius Scatius Medicus.
Cornelius Adriani Minorita.
Cornelius Baesdorpius.

Dominicus Lampsonius.
Ferdinandus Salinas.
Ferdinandus Veranneman.
Fontigarius de Placentia.
Franciscus ab Astudillo Minorita.
Franciscus Brichouius.
Franciscus Euerardus Minorita.
Franciscus Goethalsius.
Franciscus Grotius.
Franciscus Lucas.
Franciscus Modius.
Franciscus Poerbusch.
Franciscus Rapardus.
Franciscus Tantius Minorita.
Gabriel Iansenius.
Galbertus Brugensis.
Georgius à Temsera.
Gerardus Brugensis.
Gerardus Soetelinus Minorita.
Gerardus Veruustius Minorita.
Gisbertus Bahusius Carthus.
Gualterus Episcopus Pictauorum.
Guido Laurinus.
Gulielmus Abselius Carthusianus.
Gulielmus Dominikel.
Gulielmus Malnaeus.
Gulielmus Pamelius.
Gulielmus Taelboomius.
Gulielmus Zenocarus.
Henricus Coesveldius.
Henricus Prudens.
Henricus Zypaeus Abbas.
Hermannus Petrus.
Hubertus Audeiantius.
Hubertus Eyckius Pictor.
Hubertus Goltzius.
Hugo à Goes Pictor.
Iacobus Blasaeus Episcopus.
Iacobus de Brugis.
Iacobus Cruquius.
Iacobus de Ostenda.
Iacobus Fontanus.
Iacobus Kimedoncius.
Iacobus Curtius.
Iacobus Lernutius.

Iacobus Pamelius.
Iacobus Plancius.
Iacobus Rauardus.
Iacobus Rousseau Minorita.
Iacobus Strutius Societ. Iesu.
Iacobus Typotius.
Iacobus Veldius Augustinianus.
Ianus Lernutius.
Ioannes Alartus Minorita.
Ioannes Alnosius.
Ioannes ab Arundine.
Ioannes de Brugis.
Ioannes Campionus.
Ioannes Casenbrotius.
Ioannes Castelius.
Ioannes Delrio.
Ioannes de VVitte Cubensis Episcopus.
Ioannes Eyckius Pictor.
Ioannes Feninus.
Ioannes Ferdinandus.
Ioannes Federicus Minorita.
Ioannes Glapionus Minorita.
Ioannes Iacobs.
Ioannes Memmelinck Pictor.
Ioannes Otto.
Ioannes Royardus Minorita.
Ioannes Stratanus.
Ioannes de Tecto Minorita.
Ioannes Vasæus.
Ioannes VVasianus.
Iudocus Damhouderius.
Lambertus Morinorum Episcopus.
Lancilotus Pictor.
Leonardus Casenbrotius.
Lubertus Hautschiltus.
Lucas Fruterius.
Lucas VVijngaerdus.
Ludouicus Carrion.
Ludouicus Viues.
Marcus Gerardus Pictor.
Marcus Laurinus.
Martinus Euerartus.
Martinus Hauwelius.
Matthias Lambrechtus Episcopus.
Matthias Paulli.
Michaël Blommardus.
Nicolaus Bucerus.

Nicolaus Desparsius.
Nicolaus Drumæus.
Nicolaus Romæus Soc. Iesu.
Nicolaus Schoonhouius.
Nicolaus Susius Societ. Iesu.
Nicolaus Masius Minorita.
Odouardus VVestonus.
Oliuerius Vredius.
Opitius Adornius.
Parseualdus Bellighemius.
Paschasius Iustus.
Petrus Burrus.
Petrus Coluius.
Petrus Curtius.
Petrus de VVitte.
Petrus Gerardus.
Petrus Poerbusch Pictor.
Petrus Pontanus.
Petrus Verheyl.
Petrus Gulielmus Minorita.
Philippus de Maldeghem.
Remigius Driutius Episcopus.
Richardus de Capella.
Robertus Brugensis.
Rodolphus Brugensis.
Rogerius Brugensis Pictor.
Rogerius Iuuenis Augustinianus.
Simon Benichius.
Simon Steuinus.
Syluester Pardo.
Theodorus SteenwichiusCarthusianus.
Thomas Rinus.
Victor Giselinus.
VValterus Monachus.
VValterus Rotarius.

FINIS.